


Auctor Operis cui titulus = Triumphus Catholicae Veritatis adversus Novatores, sive Jansenius Damnatus &c = est Philippus Labbè S. J. Ita Placcius in Theatro Anonymorum T. II. pag. 197. Niceron Memoires des Hommes illustres T. XXV. in ejus vita et Bibliotheca Anti-Janseniana quae a praefatis Scriptoribus eidem Philippo Labbè tribuitur.

TRIVMPHVS CATHOLICÆ VERITATIS,

Aduersus Nouatores;



SIVE

IANSENIVS DAMNATVS

à Conciliis, Pontificibus, Episcopis, Vniuersitatibus, Doctoribus, atque Ordinibus Religiosis.

llanez

Operâ & studio S. E. R. T.




PARISIIS,

Apud SEBASTIANVM & GABRIELEM CRAMOISY fratres, viâ Iacobæâ.

M. DC. LI.

Cum Priuilegio Regis Christianissimi.



CATHOLICIS LECTORIBVS

S. E. R. T.

Salutem plurimam dicit.



SVOS *etiam Triumphos habet Militans in terris Ecclesia: nec in castris semper armata excubat, aut extra vallum acies explicat, aut in hostibus cædendis fugandisque desudat: post ancipites pugnas & decertata diu cum perduellibus certamina palmæ dantur & coronæ, eriguntur Trophæa, pompa triumphalis indicitur. Emergentem ex ipsis propemodum*

incunabulis Ecclesiam oppugnarunt Simones, Cerinthi, Valentini, Marciones, Nouatiani, Manichæi, similesque in diuersis orbis partibus Hæretici: de iis triumphauit Ecclesia. Adultam iam & sub felici Christianorum Principum imperio confirmatam ad certamen prouocarunt Arius, Macedonius, Pelagius, Nestorius, Eutyches, Acephali, Monothelitæ, compluresque alij: de iisdem prostratis profligatisque insignes egit Triumphos Ecclesia. Postremis quoque temporibus, quæ ab Apostolis nouissima nominantur, senescentem iam ac veluti canis aspersam viribusque defectam euertere conati sunt Albigenses, VViclefus, Hussus, Lutherus, Caluinus, Melanchthon, Beza,

Dordrectani, Geneuenses, & ab Aquilone effusi terribilium locustarum innumerabiles exercitus: aduersus eos non tantum firma stetit hactenus atque immota, sed de iisdem etiam, vt de ceteris gloriosissime triumphauit Ecclesia. Erecta passim in sacris paginis, in Romanorum Pontificum Decretis atque epistolis, in sacrosanctis Conciliis, Constantiensi præsertim ac Tridentino, (vt antiquiora sileam, Nicæna, Constantinopolitana, Ephesinum, Calchedonense, Arausicanum,) & in sanctorum Patrum atque Historicorum monumentis, in Doctorum Scholasticorum dissertationibus Triumphantis Ecclesiæ Trophæa, Coronas depictas, inscripta Elogia inspeximus, le-

gimus, mirati ſumus; vt penè portentum ſit non defuiſſe hoc ſæculo nonnullos, qui iacentes ac deuictas Hæreticorum acies in campum iterum pugnamque voluerint educere. Princeps eorum extitit CORNELIVS IANSENIVS, *qui gente Hollandus, patriâ Leerdamenſis, inter Hæreticos educatus à puero, tum Louanij in Ianſonij Baianarum partium Antiſtitis diſciplinam traditus, atque in Gallia frequenti Ioannis Vergerij, nondum Sancti Sigyranni Abbatis, conſortio corruptus, aduerſum Catholicos Theologiæ Scholaſticæ Profeſſores liuore ſuffuſus atque odio implacabili, ac tandem non bonis, vt Belgæ norunt, artibus ad Jprenſem Epiſcopatum promotus,*

grande volumen viginti duobus annis parturiuit, quo sub Augustini Hipponensis Episcopi sanctissimi speciosâ laruâ auxiliares Caluino Lutheroque copias aduersus Romanam Ecclesiam comparare ac submittere non erubuit. Infelicem partum, quem vna cum parente peste sublato enecari, eodemque sepulcro condi, aut ad æternam nominis infamiam flammis vltricibus vstulari oportuerat, Libertus Fromondus & Henricus Calenus furtiuis typis excusum, elogiis, indicibus, atque appendicibus locupletatum, vulgarunt in lucem: exceperunt summo applausu, & congeminatis ad rauim vsque acclamationibus diffamarunt Sancyranius Abbas alter libri pa-

rens, eiusque sectatores ac discipuli, Arnaldus, vterque Magister, Hillerinus, Labadius, Hamelius, Sanguelinus, Hersentius, Mareus, Bouæus, Lanæus, Castellanus, Brusseus, Sanctamorius, Burzeus, Mauguinus, ac nonnulli alij, ob insignem audaciam temeritatemque Conciliis Oecumenicis, summorum Pontificum Pij V. Gregorij XIII. Vrbani VIII. Innocentij X. decretis, Catholicorum Theologiæ Scholasticæ Doctorum Academiis omnibus imprudentissime reluctantem, tota Gallia, atque adeò toto iam propemodum orbe Christiano notissimi. Hinc infames illæ pro Iansenio Apologiæ aduersus eruditissimum Vabrensem Episcopum

D. Isaacum Habertum: Hinc Epistolæ ad Episcopum, ad Abbatem, ad Præsidem, aliosque nullius nominis viros. Hinc omnigenæ artes, doli, fraudes, mendacia, calumniæ in Dialogis aliisque libellis famosis aduersus DD. Pereyret, Cornet, le Moine, Morellum, PP. Sirmondum, Petauium, Petrum à sancto Ioseph, Adamum, aliosque orthodoxos Ecclesiæ Romanæ defensores, vt in eos iactari possit illud Tertulliani: Hæretici turbulenti, loquacitatem facundiam existimant, impudentiam constantiam deputant, & maledicere singulis officium bonæ conscientiæ iudicant. *Hinc fucatæ illæ Augustini, Prosperi, Bernardi, atque ad irretiendos simplices*

concinnatæ versiones: Hinc disseminati per Vrbem atque in prouincias missi libelli compti, elegantes; atque vltro inuitis ac penè conspuentibus oblati. Hinc tot prætextus, excusationes, κρύψεις, tergiuersationesque excogitatæ, vt saltem in speciem & apud imperitos declinare viderentur ea fulmina, quibus ab Ecclesia afflatum attritúmque Doctorem suum probe norunt. Hinc infelix Gotteschalcus ex inferis excitatus in lucem, ac tantum non sacris altaribus impositus; Hinc in precariis orandi formulis subdola Calendaria, hymni deprauati, Orationum Ecclesiasticarum, Psalmorum & aliorum sacræ scripturæ librorum ad Caluini & Geneuensium sensus industriâ

ſingulari detortæ ſententiæ. Hinc pecuniâ, ſacerdotiis, promiſſis, corrupti iuuenes aliquot ingenioſi quidem, ſed egentes: Hinc penſiones & annui reditus Doctoribus, Licentiatis, Baccalaureis, Curionibus, eorúmque Vicariis ſubminiſtrati: Hinc Romam miſſi magno ſumptu Doctores ad minuendam Ianſenianæ damnationis infamiam, ſpargendos furtim libellos, inſinuandas ſenſim incautis hæreticas opiniones &c. Verum irriti hactenus eorum fuere conatus: nec parum demiramur, *liceat vſurpare verba Concilij Senonenſis Lutetiæ Pariſiorum anno* 1528. *celebrati*, quonam pacto tam impudentes ſint hodie, aut tam arrogantes, vt DAMNATAM DOCTRINAM

audeant diſſeminare, eamque probare, prædicare, ſcribere, aut diuulgare non erubeſcant, quam ſemper Eccleſia Spiritu ſancto illuſtrata reiecit, reſpuerunt orthodoxi, probati Doctores execrati ſunt: quaſi verò magis ſit paucis iiſdemque temerariis errorum ſatoribus credendum, quàm omnibus Doctoribus, ſanctis Martyribus, Academiis, Epiſcopis, ſummis Pontificibus, Generalibus Conciliis, quo ſtultius dici nihil poteſt aut furioſius? Nam quæ maior ſtultitia, ſi non inſania dicenda eſt potius, quàm quòd PRÆDAMNATAS TOT RETRO SECVLIS HÆRESES reuocare conantur & EXTINCTOS EXECRANDARVM

BLASPHEMIARVM CINERES ſtudent ex inferis denuo ſuſcitare? At certè IN VANVM LABORANT, cùm aduerſus CHRISTVM & ECCLESIAM nihil vnquam feliciter attentetur. Quapropter quantumlibet tumultuentur, innumeras licet inſipientium huiuſmodi cateruas in animarum & corporum perniciem ad nefariam impietatem tuendam technis & fraudibus alliciant: quotquot LIBROS AD FIRMANDAM EXECRABILEM HANC SECTAM CONSCRIBVNT, quantumuis nugas & calumnias ſuas compoſito fucatoque ſermone ſatagant adumbrare, quantumuis denique in ECCLESIÆ CATHOLICÆ

conſpirent exitium, IMPII tamen eorum CONATVS in ventos tandem effluent & euaneſcent. Zelatur enim CHRISTVS zelo magno Eccleſiæ ſuæ integritatem, nec paſſurus eſt aliquando FIDEM ECCLESIÆ INIQVIS HÆRETICORVM CONIVRATIONIBVS CORRVMPI. Eapropter dum eam illi oppugnant, potenti brachio virtutis ſuæ illos repellit, ac vana eorum molimina fruſtratur. Et quemadmodum facilè ſolis calore nix diſſoluitur, facilius longè DIVINA VIRTVTE IMPIORVM CONSILIA vixdum exorta diſſipari & cordis eorum cogitationes diſpergi ſolent: Hoc vtique hodie videmus impleri,

&c. *Quid enim, amabo, Sinnichius, quid Papius Iansenianì Louanienses Romæ peregerunt assidua plurium annorum commoratione? quid in Belgium reportarunt præter opprobrium nominis sempiternum atque Vrbanæ Bullæ aduersus Iansenium repetitam confirmationem? Quid agit modo Romæ Sanctamorius, dum hic Parisiis moraretur Pontificiorum, vt vocabat, ac Mendicantium insectator acerrimus? Quid tot concursationibus, tot confictis ad libitum calumniis, tot libellulis oblatis, tot ingestis muneribus, tot potentiorum prehensationibus promouit hactenus promouebitque in posterum? Quid Ioannes Labadius seditiosis concionibus apud Ambianos, Vasa-*

tenses, Tolosatesque profecit? Quo tandem abiit? quo confugit, vt iustissimam Episcopi Vasatensis sententiam, paratosque carceres, ignésque, euitare posset? Cui Iansenianam doctrinam Iansenianus ipse, atque inter Iansenianos Patriarcha nominatissimus, cui inquam doctrinæ comparauit in nupera ad amicos Iansenistas epistola, cuius fragmenta ante aliquot dies summo omnium Catholicorum applausu & Ianseniano-rum dedecore ac planctu totâ Parisiorum ciuitate vulgata sunt? Quem fructum Antonius Arnaldus ex pluribus illis de Pœnitentiâ atque infrequenti Communione scriptis voluminibus reportauit, quàm vt Antonij de Dominis ventrosissimi Apostatæ

iure merito discipulus atque æmulator audiret? Quid ille idem cum suo Antonio Magistro similibusque Portus Regalis incolis effecit ad hunc vsque diem operosis illis de Duplici Ecclesiæ capite commentariis, quàm vt Romæ à summo Pontifice infami hæreseos nota inurerentur? Quo fructu Iosephus Magister in gratiam nouæ sectæ, si tamen noua, Clementi Maroto, Theodoro Bezæ, Ioanníque Labadio, Canticorum rhythmis Gallicis expressorum quartus fabricator & Calendarij noui nouarumque versionum auctor accessit, nisi vt in iustissimas Francisci à sancto Romano reprehensiones incurreret, & conceptum odium aduersus Dominum Iesum omnium omninò hominum saluatorem Re-

demptorémque, necnon aduersus summos Pontifices & probatæ doctrinæ sanctissimos viros palam omnibus faceret? Quale nomen sibi fecerunt Amabilis Burzeus & Gilbertus Mauguinus cognati homines, ille Abbas, hic Monetalis Præses, vt alter ob propugnatam pluribus Epistolis Caluinianam hæresim ἑτερόδοξος, *alter ob adulteratam veritatem Historicam* ψευδίστωρ *diceretur? Quorsum tandem abierunt vesana illa Salmanticensis Doctoris à Iesuitis ex Priuilegio à Sede Apostolica concesso interfecti fabula in Iansenianorum officinis conflata, & Vallisoletanæ Inquisitionis sine die & Consule Decretum ab emotæ mentis hominibus in lucem editum ad minuendam Hersenti citationis*

& censuræ Catechismi Gratiæ infamiam? Quis porrò fuit exitus decantatæ illius concionis, quam ante aliquot menses in festo sanctorum Innocentium coram Rege Christianissimo Aulicisque quamplurimis habuit Ioannis Labadij in ambiendo sancti Mederici, vt vocant, inferiori Capiceriatu riualis & competitor notissimus? Taceo, quæ de Sanguelini Augustinianâ concione, atque infortunatis Marei, Hersenti, Brussei; aliorumque conatibus dicere possem: Mores non moror, Domino suo stant & cadunt, Viderit persona, cum doctrina mihi quæstio est, *inquit Tertullianus aduersus Hermogenem; vt cum eiusdem Senonensis Concilij Patribus finem huic præloquio impo-*

nam: Peribunt *Ianſenianorum*, ſicut priorum hæreticorum, cum ſuis ſcriptis, *& concionibus*, deſideria, NEQVE CONTRA ECCLESIAM DEI PRÆVALEBVNT, quæ glorioſa in ſæcula permanebit, de illis, prout & DE CÆTERIS HACTENVS HÆRESIARCHIS, INSIGNEM RELATVRA TRIVMPHVM.

HVIVS PORRO TRIVMPHI pompam ducent.

I. Conciliorum Patres.

II. Pontifices Romani.

III. Archiepiscopi & Episcopi.

IV. Vniuersitates.

V. Doctores Catholici.


VI. Religioſi Ordines.

QVONIAM *verò Triumphalem Victoris Imperatoris currum ponè ſequebantur captiui Principes ac Duces primarij quique in bello ſuperati, manibus poſt terga reuinctis, obſtipo capite & figentes lumine terram, irriſi, deſpecti, diris atque execrationibus omnium deuoti, placuit quoque Triumphantis Eccleſiæ pompam aduerſus Nouatores eodem ornare ſpectaculo. Eam ob rem præcipuas quaſque Cornelij Ianſenij Propoſitiones numero centum & quadraginta à Conciliis, Pontificibus Romanis, Præſulibus, Academiis, Doctoribus atque Ordinibus Religioſis proſtratas proſcriptas damnataſque, atque in duodecim veluti turmas à nobis diſtinctas à pagina 235. ad 384. exhi-*

buimus, vt Catholici ſpectatores eas pro merito diris execrationibuſque deuoueant, & ſempiternum Væ victis, *niſi reſipiſcant & ad ſaniorem redeant mentem, ingeminent atque imprecentur. Vos itaque ſpectatum admiſſi, Lectores Catholici, feſtum Pæana concinite, ac Matri Reginæque veſtræ triumphanti æternùm applaudite. Faxit Deus Opt. Max. vt profligato feliciter Ianſeniſmo aut ad Caluiniana caſtra, vnde exiit, redire tandem compulſo, pacata Eccleſia nullis vnquam nouorum Hæreticorum turbinibus agitetur.* Valete.



TRIVMPHVS CATHOLICÆ VERITATIS, ADVERSVS NOVATORES.



PARS PRIMA.

IANSENIVS DAMNATVS A CONCILIIS.

§. I.

Concilium TRIDENTINVM *cum Luthero, Caluino, aliisque Hæreticis damnat Ianſenium.*

SESSIONE V. §. 5.

IN renatis nihil odit Deus: quia *nihil eſt damnationis* eis, qui verè *conſepulti ſunt cum Chriſto per baptiſma in mortem.*

Damnantur his verbis propoſitiones Ianſenii 29. & 30. è qui-

bus colligitur motus concupiscentiæ indeliberatos esse peccata.

Manere in baptizatis concupiscentiam, vel fomitem, hæc sancta Synodus fatetur & sentit: quæ cùm AD AGONEM RELICTA SIT, nocere non consentientibus, sed viriliter per IESV CHRISTI gratiam repugnantibus non valet, quinimmò, *qui legitimè certauerit, coronabitur.*

Hanc CONCVPISCENTIAM, quam aliquando Apostolus *peccatum* appellat, sancta Synodus declarat Ecclesiam Catholicam nunquam intellexisse peccatum appellari, quod verè & propriè in renatis peccatum sit, sed quia EX PECCATO est, & ad PECCATVM INCLINAT: si quis autem contrarium senserit, anathema sit.

His non consonant quæ docet Iansenius pp. 123. 124. 125.

Declarat sancta Synodus, non esse suæ intentionis, comprehendere in hoc decreto, vbi de PECCATO ORIGINALI agitur, beatam & immaculatam VIRGINEM MARIAM Dei genitricem.

Sessione VI. *cap.* I.

Damnantur pp. Iansen. 16. 17. 18.

Serui erant peccati, & sub potestate diaboli, vt non modò gentes per vim naturæ, sed ne Iudæi qui-

dem per ipſam etiam litteram legis Moyſi inde liberari aut ſurgere poſſent, tametſi in eis LIBERVM ARBITRIVM minimè extinctum eſſet, viribus licèt ATTENVATVM & INCLINATVM.

Cap. 2. eiuſdem ſeſſ. VI.

Pater Chriſtum IESVM filium ſuum ad homines miſerit, vt & Iudæos, qui *ſub lege erant*, redimeret, & gentes, quæ non *ſectabantur iuſtitiam*, iuſtitiam apprehenderent, atque OMNES *adoptionem filiorum* reciperent. Hunc propoſuit Deus *propitiationem per fidem in ſanguine ipſius pro peccatis noſtris, non ſolùm autem pro noſtris, ſed etiam pro* TOTIVS MVNDI. Damn. pp. Ianſ. 51. 53. 54. 58. 59. 60. &c.

Cap. 3. eiuſdem ſeſſ. VI.

Verùm, etſi ille pro OMNIBVS MORTVVS eſt, non OMNES tamen MORTIS eius beneficium recipiunt, ſed ij duntaxat, quibus meritum Paſſionis eius communicatur. Damn. pp. Ianſ. 59. 60. 61. 62. 63.

Cap. 5. eiuſdem ſeſſ. VI.

Qui per peccata à Deo auerſi erant, per eius excitantem & adiuuantem GRATIAM ad conuertendum ſe Damn. pp. Ianſ. 41. 42. 45. 46. 47. 48. 49. &c.

ad ſuam ipſorum iuſtificationem eidem GRATIÆ LIBERE aſſentiendo & COOPERANDO diſponantur; ita vt tangente Deo cor hominis, per Spiritus ſancti illuminationem, neque homo ipſe nihil omninò agat inſpirationem illam recipiens, quippe QVI ILLAM ET ABIICERE POTEST, neque tamen ſine gratia Dei mouere ſe ad iuſtitiam coram illo liberâ ſuâ voluntate poſſit. Vnde in ſacris Literis, cùm dicitur: CONVERTIMINI *ad me, & ego conuertar ad vos;* LIBERTATIS noſtræ admonemur: cùm reſpondemus: *Conuerte nos Domine ad te, &* CONVERTEMVR, Dei nos GRATIA PRÆVENIRI confitemur.

Cap. 6. eiuſdem VI. *ſeſſ.*

Damn. eædem pp. Ianſenii.

Diſponuntur autem ad ipſam iuſtitiam, dum EXCITATI diuinâ gratiâ & adiuti, fidem ex auditu concipientes, LIBERE mouentur in Deum, credentes vera eſſe, quæ diuinitùs reuelata, & promiſſa ſunt, &c.

Peccatores ſe eſſe intelligentes, à diuinæ IVSTITIÆ TIMORE, quo VTILITER concutiuntur, ad conſiderandam Dei miſericordiam ſe CON-

VERTENDO, in ſpem eriguntur, fidentes Deum ſibi propter Chriſtum propitium fore, illumque, tanquam omnis iuſtitiæ fontem, diligere incipiunt, ac propterea mouentur aduerſus peccata per ODIVM aliquod & deteſtationem; hoc eſt, per eam pœnitentiam, quam ante baptiſmum agi oportet: denique, dum proponunt ſuſcipere baptiſmum, inchoare nouam vitam, & ſeruare DIVINA MANDATA.

Damnantur eædem pp. Ianſ.

Cap. 7. eiuſdem ſeſſ. VI.

Hanc diſpoſitionem, ſeu præparationem iuſtificatio ipſa conſequitur, quæ non eſt ſola peccatorum remiſſio, ſed & ſanctificatio, & renouatio interioris hominis, per VOLVNTARIAM ſuſceptionem GRATIÆ & donorum: vnde homo ex iniuſto fit iuſtus, & ex inimico amicus, vt ſit hæres ſecundum ſpem vitæ æternæ.

Damn. eædem pp.

Verè iuſti nominamur & ſumus, iuſtitiam in nobis recipientes vnuſquiſque ſuam, ſecundum menſuram, quam Spiritus ſanctus partitur ſingulis, prout vult, & ſecundum PROPRIAM CVIVSQVE DISPOSITIONEM & COOPERATIONEM.

Cap. II. *eiusdem sess.* VI.

Damnantur pp. Iansen. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. &c.

Nemo temerariâ illâ, & à PATRIBVS sub anathemate prohibitâ voce vti debet, DEI PRÆCEPTA homini iustificato ad OBSERVANDVM esse IMPOSSIBILIA. Nam DEVS IMPOSSIBILIA non iubet, sed iubendo monet & facere, quod possis, & petere, quod non possis, & adiuuat vt possis. Cuius *mandata grauia non sunt*, cuius *iugum suaue est*, *&* *onus leue*.

Sobriè, iustè, & piè viuentes proficere possunt per IESVM CHRISTVM, &c.

Deus suâ gratiâ semel iustificatos NON DESERIT, nisi ab eis priùs DESERATVR.

Princeps Apostolorum Petrus: *Satagite*, *vt* PER BONA OPERA *certam vestram vocationem & electionem faciatis*. Hæc enim facientes non peccabitis aliquando.

Damn. pp. Ians. 67. 68. 69. 78. 79. 80.

Constat eos orthodoxæ religionis doctrinæ aduersari, qui statuunt in omnibus operibus iustos peccare, si in illis..... mercedem quoque intuentur æternam; cùm scriptum sit: *Inclinaui cor meum ad faciendas iusti-*

ficationes tuas, propter retributionem: & de Mose dicat Apostolus, quòd *respiciebat in remunerationem.*

Cap. 13. *eiusdem sess.* VI.

In Dei auxilio firmissimam spem collocare & reponere omnes debent. DEVS enim, nisi ipsi illius GRATIÆ DEFVERINT, sicut cœpit opus bonum, ita perficiet, operans velle & perficere. Damn. pp. Ians. 20. 21. 22. 23.

Cap. 15. *eiusdem sess.* VI.

Qui lethalia committunt peccata: à quibus cùm diuinæ gratiæ adiumento ABSTINERE POSSVNT, & pro quibus à Christi gratia separantur. Damn. pp. 12. 14. 17. 18. 19. 22. 23. &c.

Cap. 16. *eiusdem sess.* VI.

Benè operantibus vsque in finem, & in Deo sperantibus proponenda est vita æterna, & tanquam gratia filiis Dei per IESVM CHRISTVM misericorditer promissa, & tanquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus & MERITIS fideliter reddenda. Damn. pp. Ians. 49. 50.

Absit tamen, vt Christianus homo in semetipso, vel confidat, vel glorietur, & non in Domino: cuius tanta est ergà OMNES homines bo-

nitas, vt eorum velit esse MERITA, quæ sunt ipsius DONA.

Et in Canonibus eiusdem sess. VI.

Damn. pp. Ians. 45. 46. 47. 48. 49. 50. IV. Si quis dixerit LIBERVM ARBITRIVM, à Deo motum & excitatum, nihil COOPERARI ASSENTIENDO Deo excitanti atque vocanti: quo ad obtinendam iustificationis gratiam se disponat ac præparet, neque POSSE DISSENTIRE, SI VELIT, sed veluti inanime quoddam nihil omnino agere, meréque passiuè se habere, anathema sit.

Damn. pp. 11. 12. 14. 16. 17. 18 V. Si quis liberum hominis arbitrium post Adæ peccatum amissum & extinctum esse dixerit, &c. anathema sit.

VI. Si quis dixerit non esse in POTESTATE HOMINIS vias suas malas facere, &c. anathema sit.

Damn. pp. Ians. 81. 82. 83. 84. 85. 86. 87. VIII. Si quis dixerit gehennæ metum, per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel à peccando abstinemus, peccatum esse, aut peccatores peiores facere, anathema sit.

Damn. pp. Ians. 108. 109. 111. 113. &c. XVII. Si quis iustificationis gratiam non nisi prædestinatis ad vitam

contingere dixerit, reliquos verò omnes, qui vocantur, vocari quidem, ſed gratiam non accipere, vtpote diuinâ poteſtate PRÆDESTINATOS AD MALVM, anathema ſit. Damn.

XVIII. Si quis dixerit Dei præcepta homini etiam iuſtificato, & ſub gratia conſtituto, eſſe ad OBSERVANDVM IMPOSSIBILIA, anathema ſit. pp. Ianſ. 16.17.18. 19.20.21. 22.23.&c.

XXII. Si quis dixerit iuſtificatum, vel ſine ſpeciali auxilio Dei, in accepta iuſtitia perſeuerare poſſe, vel CVM EO NON POSSE, anathema ſit.

XXIII. Si quis hominem ſemel iuſtificatum dixerit poſſe in tota vita peccata omnia, etiam venialia, vitare, niſi ex ſpeciali Dei priuilegio, quemadmodum de BEATA VIRGINE tenet Eccleſia, anathema ſit. Ex pp. Ianſen. 123. & 124. aliiſq; colligitur B. V. Mariam peccato non caruiſſe.

XXXI. Si quis dixerit iuſtificatum peccare, dum intuitu æternæ MERCEDIS benè operatur, anathema ſit. Damn. pp. Ianſ. 67. 68. 69. 78. 79. 80.

XXXII. Si quis dixerit hominis iuſtificati bona opera, ita eſſe dona Dei, vt non ſint etiam BONA IPSIVS Damn. pp. Ianſ. 49. 50.

IVSTIFICATI MERITA, &c. anathema ſit.

Damnatur Liber Ianſenii à capite ad calcem ſingulis fermè paginis.

XXXIII. Si quis dixerit per hanc doctrinam Catholicam de iuſtificatione aliqua ex parte gloriæ Dei, vel meritis IESV CHRISTI domini noſtri, derogari, & non potiùs veritatem fidei noſtræ, Dei denique, ac CHRISTI IESV gloriam illuſtrari, anathema ſit.

SESSIONIS XIV. *cap.*4.

Damn. pp. Ianſ. 81. 82. 83. 84. 85. 86. 87. 88. 89. 90. 91.

Illam Contritionem imperfectam, quæ ATTRITIO dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati conſideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu communiter concipitur, ſi VOLVNTATEM PECCANDI excludat cum ſpe veniæ, declarat donum Dei eſſe, & Spiritus ſancti impulſum, non adhuc quidem inhabitantis, ſed tantùm mouentis, quo pœnitens ADIVTVS viam ſibi ad iuſtitiam parat.

Et quamuis ſine Sacramento pœnitentiæ per ſe ad iuſtificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam IN SACRAMENTO POENITENTIÆ impetrandam diſponit. Hoc enim timo-

re VTILITER concussi Niniuitæ ad Ionæ prædicationem plenam TERRORIBVS, pœnitentiam egerunt, & misericordiam à Domino impetrarunt.

Cap. 5. eiusdem sess. XIV.

Venialia, quibus à gratia Dei non excludimur, & in quæ frequentiùs labimur, quanquam RECTE & VTILITER, citraque omnem præsumptionem in Confessione dicantur, quod PIORVM HOMINVM VSVS demonstrat; taceri tamen citra culpam, multisque aliis remediis expiari possunt.

Videsis extrema verba D. Archiepiscopi Senonensis de discipulis Abbatis S. Sigyrani Iansenismi in Gallia propagatoribus.

Cap. 8. eiusdem sess. XIV.

Neque verò ita nostra est satisfactio hæc, quam pro peccatis nostris exoluimus, vt non sit per CHRISTVM IESVM, nam qui ex nobis tanquam ex nobis nihil possumus, EO COOPERANTE, *qui nos confortat*, OMNIA POSSVMVS, ita non habet homo vnde glorietur: sed *omnis gloriatio nostra in Christo est*, in quo VIVIMVS, in quo MEREMVR, in quo SATISFACIMVS, *facientes fructus dignos pœnitentiæ*, qui ex illo vim habent, ab

Damnant. PP. Iansf. 49. 50.

illo offeruntur Patri, & per illum acceptantur à Patre.

Nemo vnquam Catholicus senſit ex huiuſmodi noſtris ſatisfactionibus vim MERITI & SATISFACTIONIS Domini noſtri IESV CHRISTI, vel OBSCVRARI, vel aliqua ex parte IMMINVI.

Et in Canonibus eiuſdem ſeſſ. XIV.

Damn. pp. Ianſ. 81. 82. 83. 84 85. 86. 87. 90. 91.

V. Si quis dixerit eam Contritionem, quæ paratur per diſcuſſionem, collectionem, & deteſtationem peccatorum, quâ quis *recogitat annos ſuos in amaritudine animæ ſuæ*, ponderando peccatorum ſuorum grauitatem, multitudinem, fœditatem, amiſſionem æternæ beatitudinis, & æternæ damnationis incurſum, cum propoſito melioris vitæ, non eſſe verum & VTILEM DOLOREM, nec præparare ad gratiam, ſed facere hominem hypocritam & magis peccatorem, demùm illum eſſe dolorem coactum, & non LIBERVM AC VOLVNTARIVM, anathema ſit.

Hæc feriũt Abbatis S. Sigyrani diſcipulos.

VII. Si quis dixerit Confeſſionem olim obſeruatam fuiſſe tantùm ad ſatisfactionem canonicam imponen-

dam, aut non licere confiteri peccata venialia, anathema ſit.

Canone 9. ſeſſ. XXIV.

Si quis dixerit poſſe omnes matrimonium contrahere, qui non ſentiunt ſe caſtitatis, etiamſi eam vouerint, habere donum, anathema ſit: cùm DEVS ID RECTE petentibus NON DENEGET, nec PATIATVR nos, *ſupra id, quod poſſumus*, TENTARI. Addendus & ſequens Canon x. in gratiam nouorum Heluidorum. Damn. pp. Ianſ. 22. 23. &c.

Si quis dixerit non eſſe melius ac beatius manere in virginitate aut cœlibatu, quàm iungi matrimonio, anathema ſit. Quid ad hæc Cl. Seguenottus?



§. II.

***Concilium* CONSTANTIENSE *damnauit cum Wiclefo Ianſenium, Seſſione* VIII. *&* XLV. *anno* 1415.**

Inter articulos Ioannis Wiclefi.

XV.° Nullus eſt dominus ciuilis, nullus eſt Prælatus, nullus eſt Epiſcopus, dum eſt in peccato mortali.

XXI. Si aliquis ingreditur Religionem, redditur ineptior & inhabilior ad obſeruationem mandatorum Dei.

XXVII. Omnia de NECESSITATE ABSOLVTA eueniunt.

NECESSITATEM *abſolutam Wiclefi, ne credas, Lector, aliam fuiſſe à* ψευδωνύμῳ *libertate Cornelij Ianſenij; audi quid ea de re doceat Thomas Waldenſis Ordinis Carmelitarum Doctor egregius libro primo Doctrinalis Fidei cap.*

22. vbi refert hæc verba Wiclefi ex cap. 28. tertij Trialogi. Deus non illibertatur quidquam facere licèt absolutè necessariò illud fiat, sicut non illibertatur producere Verbum vel Spiritum sanctum, licèt absolutè necessariò illud agat. *Tum cap. 23. num. 6.* Respondent communiter Wiclefistæ trutinantes glossam euasoriam, quòd Deus non necessitat necessitate coactionis ad bonum vel malum futurum: quia ILLA SOLA TOLLIT ARBITRII DIGNITATEM: non autem alia necessitas præueniens absolutè futuritionem effectus. Sed redarguunt Glossam istam prudentes CATHOLICI, obiicientes eis Metaphysicam Pauli dicentis ad Philemonem: *ne velut ex necessitate bonum tuum esset, sed voluntarium:* vbi patet, quod simul non potuit bonum Philemonis ex necessitate fore absolutâ & liberâ voluntate. Sic enim capit eum Hieronymus in Annotationibus suis, vt ostendat, quia bonum facere nostrum est. Notandum quòd neminem voluerit NECESSITATE aliquid boni facere, ne mercedem

Eadem glossa vsus est Iansenius, vt patet ex propositionibus 1. 2. 3. 4. 5. &c.


VOLVNTATIS amitteret. Hæc Hieronymus. Hæc eſt ergo neceſſitas, quæ ſic opponitur libertati: non autem coactio, quæ libertatem non tollit omninò, &c. Non eſt ergo coactio in cauſa, vnde libertas prodatur, fons humani meriti vel delicti: ſed vis ILLA NECESSITATIS OCCVLTA, (ſi iſte ſic dicendo non erret) quæ ſic VOLVNTATEM STRINGIT AD EFFECTVM, VT NEC ALITER FACERE VALEAT. *Ipſo quoque initio cap.* 24. Tradit certè antiquitas Eccleſiæ IESV CHRISTI originem actus humani mali & deformis eſſe voluntatem humanam in ſua radice liberrimam, & ſine FRENO alicuius NECESSITATIS diſtinctam. Eandem inſuper voluntatem docet eſſe principium originale & primigenium actus boni præueniente eum gratiâ Dei in ratione motiui. Nullibi tamen infertur neceſſitas actui abſolutè dicta: ſed neceſſitas tractionis vel inclinationis operantem perficit, &c. Ita in bonis operibus perfector eſt Deus; in malis incenſor eſt diabolus; in vtriſque verò originalis opifex eſt creata

Illud ipſum docent docueruntq; hactenus Pariſienſes Doctores, & Societatis IESV Theologi, aliiq; omnes orthodoxi.

creata voluntas, quæ ita poteſt ex ſe mala facere, etiam renitente diuinâ clementiâ, vt non niſi Deo præcurrente bona poſſit conſummare, &c. *Hæc aliaque quamplurima hoc & ſequentibus capitibus ediſſerit vir doctiſſimus, qui Martino Papæ V. opus illud immortalitate digniſſimum conſecrauit, obiitque Rothomagi anno Redemptionis humanæ* 1430. *tertio Nonas Nouembris Indict.* 8.

Poteram hîc quoque nonnulla ex confutatione errorum Ioannis Wiclefi à F. Willelmo Wideforda ſcripta ad Thomam Cantuarienſem Archiepiſcopum excerpere: Decimus ſeptimus articulus pro hæreſi condemnatus eſt: quòd omnia quæ euenient; neceſſariò euenient, &c. Sequitur primò quòd nullus peccat demeritoriè, niſi peccato quòd nullo modo vitare poteſt, &c. Sed ne prolixior ſim in re ſatis nota, ſatius viſum fuit Lectorem eo amandare, necnon ad rationes, motiua, & reprobationes articulorum Wiclefi & ſequacis ipſius Ioannis Huſs in Concilio Conſtantienſi damnatorum, quæ

habentur edita in Fasciculo rerum expetendarum & fugiendarum, in cuius libri extrema pagina Ioannem Wiclefum Lutheri, Caluini, Ianſenij præcurſorem, ſic ſuis depinxit coloribus Orthuinus Gratius Dauentrienſis Preſbyter: *Ioannes verò Wiclefus, diaboli mancipium, Hæreticorum anteſignanus, mortis æternæ præco, pabulum gehennæ ignis, & audax Antichriſti vexillifer ac dæmonum ſocius à Dei Eccleſia condemnatus*, &c.



§. III.

Concilium SENONENSE *Lutetiæ Parisiorum anno* 1528. *ab Archiepiscopo Senonensi, eiusque Suffraganeis Episcopis, Carnotensi, Parisiensi, Meldensi, Antisiodorensi, Trecensi, Niuernensi, & Vicario Aurelianensis, celebratum aduersus Lutherum & Lutheranos, Baium quoque ac Iansenium damnauit cum Baianis ac Iansenianis.*

In Præfatione hæc habet.

MANICHÆVS tollens liberum arbitrium duplicem in homine statuit naturam: alteram bonam, alteram malam: & bonam quidem à Deo, immò de Dei substantia conditam asserit, & eandem semper bene agere: malam verò à Principe tenebrarum, semper

malè : Agunt enim iuxta illius sententiam non LIBERE & VOLVNTARIE, sed NECESSARIÒ, & NATVRALITER : ob idque nihil imputandum putat humanæ voluntati : sed naturis illis, maximè inter se contrariis. Nec in ea re multum distat à Manichæo LVTHERVS. [*Iansenius.*] Nam cuncta, quæ ab homine fiunt, NECESSARIÒ fieri LVTHERVS [*Iansenius*] credit, nec in hominis situm POTESTATE vias suas bonas facere aut malas. Aufert etiam IPSE, vt Manichæus, liberum arbitrium, licèt alias ab eo dissentiat.

Iansf. pp. 13. 16. 17. 18.

Errauit consimiliter Pelagius, dum aliud extremum secutus, ad vitam beatam comparandam, minimè necessariam putat diuinam gratiam : sed ad id sufficere censet liberum arbitrium, si modò adsit diuinæ legis cognitio. Porrò talia deliramenta respuens Ecclesia Catholica hæc tria ad salutem requiri docet : FIDEM, BONA OPERA, & DIVINAM GRATIAM ; neque absque his patere homini adulto viam salutis. *Accedentem* siquidem *ad Deum oportet* primùm di-

uinæ gratiæ munere aliquem *credere*: deinde bonis operibus intendere: in quibus efficiendis & LIBERVM ARBITRIVM operatur & GRATIA, primò tamen & principaliùs GRATIA.

Hoc dogma damnat Pelagianiſmi Ianſenius pp. 49. 50. &c.

Quapropter, qui hominem bene operari, & ſalutem conſequi arbitratur abſque GRATIA, aut primatum boni operis libero arbitrio aſcribit, non gratiæ, Pelagianus eſt. Qui ſaluari hominem exiſtimat, neglectis bonis operibus à libero arbitrio procedentibus, hic Manichæus eſt & Lutheranus. Nam in errorem Manichæi incidit Lutherus, dum nimis anxiè & ſcrupulosè deuitat Pelagium. Metuens namque LIBERVM ARBITRIVM cum Pelagio nimis efferre, omne opus bonum, quod eſt in homine DEO tribuit & DIVINÆ GRATIÆ, nihil prorſus LIBERO ARBITRIO: ſicque tollens omninò liberum arbitrium Lutherus, factus eſt MANICHÆVS, dum refugit eſſe PELAGIANVS.

Idem Ianſenii fatum, eadē Ianſenianorum conditio.

Debuerat certè LVTHERVS [*Ianſenius*] ex Apoſtolo noſſe, ita neceſ-

ſariam eſſe DIVINAM GRATIAM ad bene operandum, vt cum ea tamen LIBERVM ARBITRIVM bonum opus efficiat. Teſtis ſiquidem eſt Apoſtolus DIVINAM GRATIAM IN SE VACVAM NON FVISSE, cùm *abundantiùs*, inquit, *laboraui, non ego autem, ſed gratia Dei mecum.* Vnde rectè conficitur ipſum diuinæ gratiæ, vt & reliquos fideles COOPERATVM fuiſſe: quos ipſe cohortatur, *ne in vanum gratiam Dei recipiant*, laborem eorum pronuntians nequaquam fore vanum, ſi ſic gratia vtantur, vt non fruſtrà illam videantur ſuſcepiſſe.

Vtrumque nimirùm alteri connectens Apoſtolus noluit LIBERVM ARBITRIVM otio torpeſcere cum Manichæo, & arrogantiam deuitans PELAGII ſic COOPERATIONEM tribuit libero arbitrio, vt ex ſe tamen, & citra DIVINÆ GRATIÆ munus, ſufficere non poſſit ad ſalutem.

Catalogū Doctorum qui Ianſenium cum aliis hære-

Hæc vtique ſententia eſt ECCLESIÆ CATHOLICÆ, quam ſemper CATHOLICI DOCTORES tenuerunt, & in oppoſitam partem declinantes

HÆRETICOS diuinorum eloquiorum testimoniis confutarunt & DAMNARVNT: quales (vt præmissum est) fuerunt Pelagius, Manichæus, & hoc tempore Manichæi discipulus LVTHERVS, *& discipuli Lutheri Melancthon, Caluinus, Beza, Iansenius, Fromondus, Abbas N. Professor N. Concionator N. & si qui hîc in Gallia eiusdem farinæ Molineæ ac Carantoniæ homines.*

ticis damnarunt, habes Part. 5.

In celeberrimo illo Constantiensi Concilio repressa est Wiclefi (*& in eo Lutheri & sequacium*) tam effrenis & priùs inaudita insania. Proinde dum reiecta est impiissimi hæretici Wiclefi dementia, simul etiam corruit & funditùs euersa est temeraria & impudens assertio eorum, qui calumnias, blasphemias, atque hæreses præscriptas tuentur & imitantur. Cuiusmodi sunt Lutherus, & sequaces illius, Melancthon, Carolostadius, Lambertus, Zuinglius, Oecolampadius, & cæteri huiusce coniurationis execrandæ complices, quos ideò ex nomine citauimus, ne pestiferos illorum libros quis legere au-

Indicem Parisiensiũ Ianseniani dogmatis fautorum summo Pontifici ac Regi Christianissimo cũ breuibus notis offerendum breui emittet in lucẽ Professor nominatissimus.

deat, ne VIPEREIS dogmatibus inficiatur.

Quo fit, vt non parùm demiremur, quonam pacto tam impudentes sint HODIE, aut tam arrogantes LVTHERANI [*Ianseniani*] vt damnatam Wiclefi damnati viri doctrinam audeant disseminare, eámque probare, prędicare, scribere, aut diuulgare non erubescant, quam semper ECCLESIA SPIRITV SANCTO ILLVSTRATA reiecit, respuerunt ORTHODOXI: probati DOCTORES execrati sunt: quasi verò magis sit PAVCIS, iisdémque TEMERARIIS errorum SATORIBVS credendum, quàm omnibus DOCTORIBVS, sanctis MARTYRIBVS, ACADEMIIS, EPISCOPIS, SVMMIS PONTIFICIBVS, GENERALIBVS CONCILIIS, quo stultiùs dici nil potest, aut furiosiùs? nam quæ maior stultitia, si non insania dicenda est potiùs, quàm quòd prædamnatas tot retrò sæculis hæreses reuocare conantur, *Ianseniani*, & extinctos execrandarum blasphemiarum cineres student ex inferis denuò suscitare? At certè IN VANVM LABO-

Hæc diligentiùs perpendãt à Iansenianæ factionis principibus miserè circumuenti pii cæteroquin homines.

RANT cùm aduersus CHRISTVM & ECCLESIAM nihil vnquam feliciter attentetur.

Quapropter quantumlibet TVMVLTVENTVR, innumeras licèt INSIPIENTIVM huiusmodi cateruas in animarum & corporum perniciem, ad nefariam impietatem tuendam TECHNIS & FRAVDIBVS alliciant: quotquot LIBROS ad firmandã EXECRABILEM hanc SECTAM conscribant, quantumuis NVGAS & CALVMNIAS suas COMPOSITO FVCATOQVE SERMONE satagant adumbrare, quantumuis denique in ECCLESIÆ CATHOLICÆ conspirent exitium, IMPII tamen eorum CONATVS in ventos tandem effluent & euanescent. Zelatur enim CHRISTVS zelo magno ECCLESIÆ suæ integritatem, quæ in fidei & charitatis potissimum sinceritate consistit, nec passurus est aliquando fidem Ecclesiæ iniquis hæreticorum coniurationibus corrumpi. Eapropter dum eam illi oppugnant potenti brachio virtutis suæ illos repellit, ac vana eo-[illegible]m molimina fr[illegible]stratur. Et quem-

Nouorum dogmatistarum natiua effigies.

admodum facilè ſolis calore nix diſſoluitur, faciliùs longè diuinâ virtute IMPIORVM CONSILIA vixdum exorta diſſipari, & cordis eorum cogitationes diſpergi ſolent. Hoc vtique in LVTHERANIS [*Ianſenianis*] hodie videmus impleri, &c.

Lutheri, Caluini, ac Ianſenii ſectatores Scripturas atque Auguſtinum populo rudibuſque exponũt, & clariſſimã eorum ſententiã eſſe garriunt.

Eò etiam VESANIÆ deuenerunt eorum nonnulli, vt Spiritum Dei iactantes ſe habere, Scripturas ſacras, *Sancti Auguſtini libros*, luce clariores affirment, omnibus ſacris Interpretibus, *Theologis*, reiectis, quibus tamen plerique alij refragantur.

Lutherana doctrina, *Ianſeniana*, à patre mendacij (qui diſſenſionis ſpiritus eſt) exorta, tandem veluti fœnum exareſcet: nempe vſque adeò pudendos atque execrandos illa continet errores, & tam malè ſibi cohærentes, vt facilè fugienda appareat & deteſtanda. Et quia ſuapte naturâ talis eſt eiuſmodi doctrina LVTHERI, *Ianſenÿ*, ſerpentinâ quadam malitiâ laborant (quod dolentes referimus) LVTHERANI, *Ianſeniani*, orthodoxorum Procerum libris eam inſere-

Hinc tot Arnaldorũ verſiones Gallico eloquio, ſed Punica fide in vulgus ſparſæ.

re, quo eorum prætextu faciliùs ſuſcipiatur.

Non eſt quod editorum librorum copiâ glorientur LVTHERANI, *Ianſeniani*, tam enim poteſt nefanda ſcriptorum FARRAGO damnatam impietatem firmare, quàm ſtramineæ ſtipulæ fundamentum domus reddere ſtabilius. Non enim pluris faciunt huiuſmodi libros *Ianſenianorum* ORTHODOXI, quàm puluerem, quem proiicit ventus à facie terræ: habituri idem iudicium, tam pro dogmatibus, quàm libris, quòd præcedentes HÆRESIARCHÆ, quorum ita ſunt ſcripta perpetuis tenebris ſepulta, vt ne eorum veſtigia quidem ſuperſint: quapropter fruſtrà laborant *Ianſeniani* in ſcribendis LIBRIS ſuæ PERFIDIÆ, aut ſuam veſaniam PVBLICIS CONCIONIBVS, *teſtes Mareus, Sanguelinus, aliique Pariſiis, Herſentus Romæ, Pariſiis, vbique.* Nec enim ſtabilientur, ſed peribunt, ſicut priorum hæreticorum cum ſuis ſcriptis deſideria, neque contra ECCLESIAM DEI præualebunt, quæ glorioſa in ſæcula permanebit, de

Catalogus eiuſmodi ſordium nuper prodiit.

illis (prout & de cæteris hactenus HÆRESIARCHIS) insignem relatura TRIVMPHVM.

EX DECRETO GENERALI.

Obsecramus per viscera MISERICORDIÆ DEI CHRISTIANISSIMVM REGEM & Principem ac Dominum nostrum supremum, vt pro suo singulari zelo, miroque affectu & incredibili deuotione Religionis Christianæ, à suis terris ac dominiis vniuersos hæreticos confestim repellat (*Caluinianos tegit hoc sæculo edictum Nannetense*) exterminétque hanc TETRAM & DIRAM LVEM HÆRETICORVM, quæ in dies magis ac magis pullulat.

Reges, Principesque à Patribus Concilii ad exterminandas nouas hæreses animantur armanturque.

Principes orthodoxi, si Christiano nomini consultum esse volunt, si Religionis Christianæ ruinam metuunt: necesse est in exterminandis profligandisque Hæreticis omnes suos conatus intendant, omnem suam potestatem exerceant. Periculum enim est, ne Petri nauicula operiatur fluctibus, ac demergatur in profundum.

DE LIBERO ARBITRIO.
DECRETVM XV.

Etſi nulla penè ſit tam aperta Catholica veritas, nullus tam manifeſtus Scripturæ locus, quem non hæretici ſuis cauillis & tergiuerſationibus eludant: nulla tamen in re tam impudenter, tantáque rei Chriſtianæ iacturâ debacchati ſunt, quàm in exterminando profligandóque LIBERO ARBITRIO. Nam quid Chriſti fidelibus perniciofius excogitare potuit hoſtis ille veritatis, quàm ſi vel à Pelagio ſeducti, omnia ſine præſidio gratiæ ſibi tumidiùs arrogent, vel fatiſcenti puſillóque animo cum Wiclefo NECESSITATI fatiſq; committant omnia? Nihil profectò reliquum erit, tum diuinis legibus, tum humanis: nullus conſiliis aut electioni: nullus precibus aut obiurgationi, cæteriſque id genus, locus: nulla denique iuſtitia futura eſt, quâ quibuſdam pœnæ, quibuſdam conſtituta ſunt præmia: ſi pro Wiclefi & Lutheranorum, *Ianſenia-*

norum, ſententiâ omnia DE NECESSITATE eueniant.

Prodierat hic error primùm apud Gentiles, ſed ſummo omnium conſenſu mox exploſus eſt: adeò liberum eſſe arbitrium, velut euidenti quodam experimento cognitum, omnium mentibus ſe ſe inculcat. Cùm igitur *reliquerit Deus hominem in manu conſilij ſui, appoſueritque coram eo ignem & aquam, bonum & malum; vt ad quodcumque voluerit porrigat manum ſuam:* nec ab re *beatus* ille dicitur, *qui potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus, & facere mala, & non fecit:* quòd *ſub eo ſit appetitus eius & dominetur illius:* ac denique percurrenti ſacram Scripturam paſſim obuium ſit, quòd liberum VTRAMVIS IN PARTEM hominis arbitrium aſſeueret, ſatis eſſe viſum eſt ſacro Prouinciali Concilio libertatis huiuſmodi vires & metas exponere.

Hæc clariſſima teſtimonia in ſuam aliorumque perniciem detorquent Ianſenianæ doctrinæ aſſertores.

Neque enim LIBERVM ARBITRIVM aſſerentes DIVINAM excludimus proptereà GRATIAM: quod illi FALSÒ toties imponere non verentur; atque hoc FVMO credulorum

Similibus mendaciis atque calumniis in orthodoxos Theologiæ Doctores

oculos præſtringere: ſed iuxta ſacram Scripturam eò extendimus, vt voluntas humana miſericordiæ præuenientis auxilio ſuffulta, & interiori quodam & occulto ſecretioris inſpirationis afflatu contacta ſeſe conuertat in Deum, Deo appropinquet, & ad veram illam gratiam ſe præparet, quâ tandem accepta ſit ad vitam æternam.

refertus eſt Ianſenii liber à carceribus ad metas.

Neque tamen tanta GRATIÆ neceſſitas LIBERO præiudicat ARBITRIO, cùm ILLA SEMPER SIT IN PROMPTV, nec momentum quidem prætereat, in quo DEVS *non ſtet ad oſtium & pulſet: cui ſi quis aperuerit ianuam, intrabit ad illum, & cœnabit cum eo.* Nec denique tale ſit huiuſmodi TRAHENTIS DEI AVXILIVM, CVI RESISTI NON POSSIT. *Quoties* enim *Dominus voluit congregare filios Ieruſalem, ſicut gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluerunt.* Fruſtrà certè Stephanus Iudæos *duræ ceruicis & incircumciſi cordis* argueret, *qui ſemper Spiritui ſancto reſiſterent.* Fruſtrà Paulus Theſſalonicenſes admoneret *Spiritum ne extingue-*

Quo, amabo, potentiori fulmine afflatu conterique poteſt eorum inſania, qui gratiam ſufficientẽ & arbitrii libertatem ad reſiſtendum Dei trahentis auxilio pernegant?

rent, ſi DIVINIS INSPIRATIONIBVS HOMINES INEVITABILITER RAPERENTVR.

Trahit quidem Deus, *ſed in eius odorem currimus*, non vi, non vnco raptamur. *Prædeſtinat, eligit, vocat*; ſed eos demùm adultos *glorificat, qui in fide & charitate radicati per* BONA OPERA *certam ſuam vocationem electionemque fecerint*. Et licèt attingat *à fine vſque ad finem fortiter, diſponit* tamen *omnia ſuauiter*. Hanc igitur hæreſim ARBITRII LIBERTATEM prorſus auferentem, non tam damnamus, quippe quæ iam olim ab Eccleſia & ſacroſanctis Conciliis damnata ſit, quàm communi hominum conceptioni, & apertis Scripturæ teſtimoniis declaramus eſſe contrariam.

Quid in tam aperta luce cœcutientes noctuarum oculi?

DE FIDE ET OPERIBVS, Merito & Gratia.

DECRETVM XVI.

Frequens illud eſt apud imprudentes, & qui non tam animi moderatione, quàm impetu feruntur: vt

dum

dum ab altero vitiorum incautè diffugiunt, in alterum prolabantur. Cuius rei LVTHERVS, *Ianſenius*, fidem facit, qui dum operum, *liberi arbitrij*, fiduciam nimis inſectatur, nihil tandem operibus, *libero arbitrio*, reliquum facit: atque ita vnius fidei, *gratiæ*, patrocinium ſuſcipit, vt ſolam agnoſcat; opera, *liberi arbitrij poteſtatem*, reiiciat & condemnet.

Faciet miſericordia locum vnicuique iuxta meritum operum ſuorum, non abſolutâ condignitate quidem, ſed gratuitâ magis ac liberali repromiſſione: quâ, *conuentione factâ de denario diurno conduxit operarios in vineam ſuam*; quâ, *qui ſuffert tentationem cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromiſit Deus diligentibus ſe*; & ei, *qui fidem ſeruauerit, certauerit bonum certamen, curſum conſummauerit, coronam iuſtitiæ reddet in illa die iuſtus ille iudex*, qui nos, etſi *ſeruos inutiles*, *ſuâ miſericordiâ dignos facit in partem ſortis Sanctorum.* Non iuſtificat igitur ſola fides, ſed magis charitas: nec quæuis opera, peccata ſunt: ſed eatenus adultis ad ſalu- Damn. pp. Ianſ. 49. 50. &c.

tem neceſſaria, vt MERITO quoque rationem non reſpuant.

Ex Annotationibus aliquot errorum.

Exploratum eſt, quòd non aliâ viâ conuenientiùs hæreticorum, *Ianſenianorum*, calumniæ, hæreſes, atque impietates cauentur, quàm vbi deteguntur & manifeſtantur. Tunc enim omnibus facilè conſtat, quàm vana ſint ac futilia, immò quàm STVLTA & IMPIA eorum dogmata.

Damn. pp. Ianſ. fermè omnes. Iuſtus in omni bono opere peccat. Omne opus bonum optimè factum eſt veniale. DEVS OBLIGAVIT HOMINEM AD IMPOSSIBILE in nono & decimo præceptis, prohibens non CONCVPISCERE: quod qui negat, peſſimè facit: & qui hoc falſum eſſe dicit, pluſquàm peſſimè facit. Non licet inducere homines ad pœnitentiam per timorem gehennæ: MERITVM tribuere OPERIBVS propemodum cum eis eſt ſentire, qui credunt nos ex operibus iuſtificari poſſe, de quo errore damnantur Iudæi plurimùm, &c.

Ex Exhortatione ad Principes Christianos, vt elaborent pro hæreticis exterminandis.

CHRISTIANOS Principes instanter rogamus, & in Domino exhortamur, si suæ saluti consulere, si suæ ditionis iura illibata custodire, si in PACE & TRANQVILLITATE subditas sibi nationes continere exoptant: potenti brachio fidem Catholicam tueantur, ac eius hostes viriliter satagant debellare. Id autem haud factu erit difficile, vbi antiqua Christianissimorum Principum in Hæreticos, eorum libros & fautores edicta renouabuntur. Quæ si salutari iudiciorum seueritate executioni demandantur, nulla prorsus hæreticorum monumenta, nulli libri, nulla scripta in suis prouinciis reperientur. Malesanæ item conciones cessabunt, necnon & CLANDESTINA CONVENTICVLA, in quibus peregrinos cultus à CHRISTIANA PIETATE degenerantes inducere solent Hæretici. Vsque eò effrænis insuper impiorum audacia retundetur, vt iam orthodoxæ fidei ac Ecclesiæ Catholicæ, sa-

Attendant ad hæc sedulò Principes Christiani.

criſque eius conſtitutionibus audeat nemo contraire. Hoc profectò noſtrum deſiderium, hæc votorum ſumma, hæc noſtri conatus gloria. Hoc eſt, quod totâ mente expoſcimus, & aſſiduis precibus à Domino efflagitamus; ſperantes dum ſtrenuè Chriſtianiſſimi Principes Hæreticos debellant, & nos piis laboribus, ne creditæ nobis oues luporum morſibus trucidentur, prohibituros, &c.

Editus eſt anno proximè ſequenti, hoc eſt, Chriſtianæ Epochæ 1529. *Pariſiis ex officina Simonis Colinæi, & Franciſco I. Francorum Regi dicatus liber, Auctore Iudoco Clichtoueo Neoportuenſi, Doctore Pariſienſi, & Canonico Carnotenſi, hoc titulo :* Compendium Veritatum ad fidem pertinentium contra erroneas Lutheranorum Aſſertiones ex dictis & actis in Concilio Prouinciali Senonenſi apud Pariſios celebrato 1528. *Legendum porrò omnibus ſuadeo Caput* 23. *de libero hominis arbitrio, ex quo pauca hæc in gratiam Catholici Lectoris, & antiquæ Pariſienſium Doctorum fidei retinentiſſimi delibare placuit.*

Prædeſtinatio aut reprobatio nullam ingerit neceſſitatem operibus noſtris ; neque adimit nobis quæcumque velimus liberè agendi facultatem: cùm & electi & reprobi hîc liberè agant omnia : nec eis diuina ad bene agendum deſint præſidia. Nempe non ſolùm petentibus ſua largitur munera Deus: ſed etiam interiore impulſu, & inſpiratione nos aſſiduè admonet, vt vltrò ſe nobis offerentem ipſum ſuſcipiamus intra cordis noſtri domicilium: & munera nobis gratuitâ ſuâ bonitate oblata non refutemus. Ecce (inquit) ſto ad oſtium & pulſo. Si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ille mecum. Noſtræ igitur id attribuendum eſt culpæ, quòd pulſanti ad oſtium cordis noſtri Deo ianuam non aperiamus. Interior autem huiuſmodi Dei pulſatio nec bonis nec malis deeſt dum hîc viuunt, &c. Tum ad quartam aduerſariorum, vt vocat, aſtutiam, quâ concludere nitebantur vocatione Dei trahentis inductam bene & malè agendi neceſ-

Hinc damnatas vides cum Lutheranis Ianſenii præcipuas ſententias, quas ſequaces eius etiam nunc propugnare non verentur.

ſitatem, & ſublatam in vtramque partem liberam voluntatis poteſtatem, reſpondet pleroſque Deum trahentem, extendentémque manum ſuam aſpernari, recuſaréq; tractum eius, &c. *Quæ planè oſtendunt, quæ fuerit ante centum & viginti annos Pariſienſis Academiæ de Gratia & libero arbitrio aduerſus hæreticos ſententia, quámque ridiculè nuperi quidam nugatores recentioribus Sorbonæ & Soc.* IESV *Theologis huius doctrinæ originem adſcribant.*

---

§. IV.

Concilium COLONIENSE *anno* 1536. *celebratum Ianſenium damnat cum Hæreticis Gratiam ſufficientem negantibus.*

PARTE VII. CAP. 32.

Damnatur gratiæ ſufficientis hoſtis Ianſenius.

QVANQVAM nemo conuertatur ad Dominum, niſi tractus per Patrem, attamen nemo hîc excuſationem prætexat: quòd non

trahatur: quòd ille SEMPER ſtet ante oſtium pulſans, nimirùm per INTERNVM & EXTERNVM verbum commonens, vt conuertamur à via noſtra peſſima; &inclamans quoniam ira, indignatio, tribulatio, & anguſtia in omnem animam hominis operantis malum, gloria autem & honor & pax omni operanti bonum, &c. *Videndum quoque eiuſdem Synodi Colonienſis Enchiridion de Sacramento Pœnitentiæ, aliiſque locis.*

---

§. V.

Concilium MOGVNTINENSE, *anno* 1549. *celebratum, Ianſenium damnat cùm Lutheranis.*

CAP. VI. *De redemptione per Chriſtum.*

PER Spiritum ſanctum ſanctificamur ſecundum internum hominem, viréſque contra relictæ concupiſcentiæ impetus accipimus, vt iam non regnet peccatum in noſtro mortali corpore: nec ad CVLPAM nobis, ſed ad MERITI OCCASIO- Damn. pp. Ianſ. 29. 30. &c.

NEM, ſi per gratiam Dei gnauiter pugnauerimus, CONCVPISCENTIA in nobis relicta ſit.

CAP. VII. *De Iuſtificatione.*

Damn. pp. Ianſ. 45. 49 50. &c. Iuſtificationis initium ex Dei gratia prouenit, quam ante omne meritum, dum adhuc inimici & peccatores ſunt, excitati & adiuti, & eidem GRATIÆ, ſic excitanti & adiuuanti CONSENTIENTES & COOPERANTES ad iuſtificationem diſponuntur.

Damn. pp. Ianſ. 81. 82. 83. & ſeqq. Homo peccatorum ſuorum admonitus, & à Deo iuſto iudice conſtituta peccatis ſupplicia metuens, mox excitatur, & adiutus Dei gratiâ à timore peccati ad Dei miſericordiam cogitatione deflectit, &c.

CAP. IX. *De obſeruatione mandatorum.*

Damn. pp. Ianſ. 19. 20. 21. &c. Demonſtrandum eſt, mandatorum Dei obſeruationem renatis ac iuſtificatis eſſe poſſibilem, non ſecundum naturæ infirmitatem, ſed ſecundum gratiam Chriſti, &c.

MONITVM.

Poteram hîc quoque cæteras ſuccenturiare recentiores Synodos, niſi ſatius viſum fuiſſet ad antiquiores prouocare, quibus

cum Luthero, Caluino, Baióq; damnatus à Tridentinis Patribus, & à Romana Apostolica Sede Iansenius, configatur. Seligam verò ex pluribus omninò quatuor; ARELATENSEM TERTIAM, ARAVSICANAM SECVNDAM, CARISIACENSEM, *ipsamque adeò* VALENTINAM TERTIAM.

---

§. VI.

Concilium ARELATENSE *cum Prædestinatianis damnauit Iansenium circa annum Christi* 475.

ANATHEMA illi, qui per Dei præscientiam IN MORTEM DEPRIMI hominem dixerit. Eodem fermè recidit reprobatio positiua Iansenii.

Anathema illi, qui dixerit illum, qui periit, non accepisse vt saluus esse posset: id est, de baptizato, vel de illius ætatis pagano, qui credere POTVIT ET NOLVIT. Damn. pp. Ians. penè omnes.

Anathema illi, qui dixerit, quòd CHRISTVS non PRO OMNIBVS mortuus est, nec OMNES HOMINES saluos esse velit. Damn. pp. Ians. à 51. ad 63.

Damnatur tota fermè Ianſenii doctrina.

Nos autem per illuminationem Chriſti veraciter & confidenter aſſerimus, & eum, qui periit per culpam, SALVVM ESSE POTVISSE per gratiam, ſi gratiæ ipſi famuli laboris obedientiam non negaſſet: & eum, qui per gratiam ad bonæ conſummationis metas ſeruitio obſequente peruenit, cadere per deſidiam, & perire potuiſſe per culpam, &c.

Ex libello Lucidi Presbyteri emendantis errorem ad Epiſcopos Leontium, Auxanium, Euphronium, &c.

Correptio veſtra ſalus publica, & ſententia veſtra medicina eſt. Vnde & ego ſummum remedium duco, vt præteritos errores accuſando excuſem, & ſalutiferâ confeſſione me diluam.

Proinde iuxta prædicandi recentia STATVTA CONCILII, damno vobiſcum ſenſum illum, qui dicit, humanæ obedientiæ laborem DIVINÆ GRATIÆ non eſſe iungendum.

Damn. pp. Ianſ. 49. 50. & aliæ.

Qui dicit poſt primi hominis lapſum ex toto ARBITRIVM VOLVNTATIS extinctum.

Damn. pp. Ianſ. à 1. ad 19.


Qui dicit quòd Chriſtus & ſalua-

Damn. pp.

tor noster mortem non pro OMNIVM salute susceperit. Ianſ. 59. 60. 61. 62. 63.

Qui dicit quòd præscientia Dei hominem violenter compellat ad mortem, vel quòd cum Dei pereant voluntate, qui pereunt, &c. *Quæ apud Baronium tom. 6. Annalium Ecclesiasticarum, primo tomo Conciliorum Galliæ p. 151. in Biniana Collectione Coloniensi, Regiaque, atque alibi passim apud Catholicos leges. Vnus quippe hactenus Caluiniani dogmatis in Hibernia Primipilus aduersus hanc Synodum ausus est* γυμνῇ κεφαλῇ *depugnare: quem pro innata hauriendi ex fœtentibus Caluinianorum lacunis prurigine imitatus est nullius nominis nescio quis Tenebrio, Ianſenianæ hæreseos Hyperaspistes.*

Vbi ergo excæcatio, obduratio, desperatio, similesque effectus reprobationis positiuæ cum desertione & derelictione peccatoris?



§. VII.

Concilium ARAVSICANVM II. *cum Prædestinatianis damnauit Iansenium anno Christi 529. Decio Iuniore V.C. Consule.*

IX. QVOTIES bona agimus, Deus in nobis atque nobiscum VT OPEREMVR operatur.

Damn. pp. Ians. 49. 50. &c.

XVIII. Nullis meritis gratiam præuenientibus, debetur merces BONIS OPERIBVS, si fiant: sed gratia, quæ non debetur, præcedit, vt fiant.

Damn. pp. Ians. à 115. ad 126.

XIX. Natura humana, etiamsi in illa integritate, in qua est condita, permaneret, nullo modo seipsam, CREATORE SVO NON ADIVVANTE, seruaret. Vndè cùm sine Dei gratia salutem non possit CVSTODIRE, QVAM ACCEPIT, quomodo sine Dei gratia poterit REPARARE QVOD PERDIDIT?

Nota Dei gratiam in statu naturæ integræ & lapsæ.

Nullus Catholicus Theologus aliter docet.

XX. Multa Deus facit in homine bona, quæ non facit homo: nulla verò facit homo bona, quæ non Deus

præſtat, vt faciat homo.

XXIII. Quando id faciunt homines, quod volunt, vt diuinæ ſeruiant voluntati, QVAMVIS VOLENTES AGANT quod agunt, illius tamen voluntas eſt, à quo & præparatur, & iubetur, quod volunt.

Omnes Catholici cóſentiunt.

Denique poſt Canonem XXV. *hæc adduntur.* Hoc, Deo propitiante, & prędicare debemus, & credere: quòd per peccatum primi hominis ita inclinatum, & attenuatum fuerit LIBERVM ARBITRIVM; vt nullus poſteà, aut diligere Deum, SICVT OPORTVIT, aut credere in Deum, aut operari propter Deum, quod bonum eſt, poſſit, niſi eum gratia miſericordiæ diuinæ præuenerit. Vnde & Abel iuſto, &c.

Damn. pp. Ianſen. in quibus periiſſe dicitur libertas ad faciendũ bonum & abſtinendũ à malo, 13. 16. 18.

Hoc etiam ſecundum fidem Catholicam credimus, quòd acceptâ per baptiſmum gratiâ omnes baptizati, Chriſto auxiliante & cooperante, quæ ad ſalutem animæ pertinent, poſſint & debeant, ſi FIDELITER LABORARE VOLVERINT, adimplere.

Damn. pp. Ianſ. 19. 20. 21. &c.

Aliquos verò AD MALVM diuinâ poteſtate PRÆDESTINATOS eſſe, non


Cæcum aut dementem eſſe oportet

qui Prædestinatianos hæreticos hic non agnoſcat.

credimus, ſed etiam, ſi SVNT, QVI TANTVM MALVM CREDERE velint, cum omni deteſtatione illis anathema dicimus.

Damn. pp. Ianſenii, quibus aliter exponit hæreſim Semipelagianam, & præcepta etiam poſt baptiſmum docet impoſſibilia.

Hoc etiam ſalubriter profitemur & credimus, quòd in omni opere bono, non nos incipimus, & poſteà per Dei miſericordiam adiuuamur; *quæ opinio fuit eorum, qui modò dicuntur Semipelagiani*, ſed ipſe nobis NVLLIS PRÆCEDENTIBVS BONIS MERITIS, & fidem & amorem ſui priùs inſpirat, vt & baptiſmi Sacramenta fideliter requiramus, & poſt baptiſmum CVM IPSIVS ADIVTORIO ea, quæ ſibi ſunt placita, IMPLERE POSSIMVS.



§. VIII.

Concilium CARISIACENSE *circa annum* 850. *celebratum damnat Ianſenium cum Gotheſcalco Monacho Prædeſtinatiano, quem pro ſua irreuocabili contumacia ſecundum leges & Agathenſes canones, & Regulam S. Benedicti, vt* IMPROBVM, VIRGIS CÆSVM, *ſicut decreuerant* GERMANIÆ PROVINCIARVM EPISCOPI, *ne aliis noceret, qui ſibi prodeſſe nolebat, conſtat ergaſtulo fuiſſe retruſum.*

I. DEVS omnipotens hominem ſine peccato rectum cum libero arbitrio condidit, & in paradiſo poſuit, quem in ſanctitate iuſtitiæ permanere voluit. Homo libero arbitrio malè vtens peccauit & cecidit, & factus eſt maſſa perditionis totius humani generis. Deus autem,

bonus & iuſtus, elegit ex eadem maſſa perditionis ſecundum præſcientiam ſuam, quos per gratiam prædeſtinauit ad vitam, & vitam illis prædeſtinauit æternam: cæteros autem, quos iuſtitiæ iudicio in maſſa perditionis reliquit, perituros præſciuit, SED NON VT PERIRENT, PRÆDESTINAVIT: pœnam autem illis, quia iuſtus eſt, prædeſtinauit æternam. Ac per hoc vnam Dei prædeſtinationem tantummodò dicimus, quæ aut ad DONVM pertinet GRATIÆ, aut ad RETRIBVTIONEM IVSTITIÆ.

Damn. pp. Ianſ. 108. 109. 110. 111. 112. &c.

II. Libertatem arbitrij in primo homine perdidimus, quam per Chriſtum dominum noſtrum recepimus: & habemus LIBERVM ARBITRIVM AD BONVM præuentum & adiutum gratiâ; & habemus LIBERVM ARBITRIVM AD MALVM deſertum gratiâ. Liberum autem habemus arbitrium, quia gratiâ liberatum, & gratiâ de corrupto ſanatum.

Damn. pp. Ianſ. 13. 16. 17. 18.

III. Deus omnipotens OMNES HOMINES ſine exceptione vult ſaluos fieri, LICET NON OMNES SALVENTVR.

Damn. pp. Ianſ. à 51. ad 58.

VENTVR. Quòd autem quidam ſaluantur, ſaluantis eſt donum: quòd autem quidam pereunt, pereuntium eſt meritum.

IV. CHRISTVS IESVS Dominus noſter, ſicut nullus homo eſt, fuit, vel erit, cuius natura in illo adſumpta non fuerit, ita nullus eſt, fuit, vel erit homo, pro quo PASSVS NON FVERIT; licèt non omnes Paſſionis eius myſterio redimantur. Quòd verò OMNES PASSIONIS EIVS MYSTERIO NON REDIMVNTVR, non reſpicit ad magnitudinem & pretij copioſitatem, ſed ad infidelium, & ad non credentium *eâ fide, quæ per dilectionem operatur*, reſpicit partem. Quia POCVLVM HVMANÆ SALVTIS, quod confectum eſt infirmitate noſtrâ & virtute diuinâ, habet quidem IN SE, VT OMNIBVS PROSIT: SED SI NON BIBITVR, NON MEDETVR.

Damn. pp. Ianſ. à 59. ad 63.

In hanc porrò Synodum, quam cum Baronio ſuſcipiunt Catholici omnes, debacchati ſunt ab aliquot annis, Hæreticus Iacobus Vſſerius Primas Armacanus, Armacanus alter Cornelius Ianſenius Iprenſis Epiſcopus, Apologiſta Ianſenij,

Gilbertus Mauguinus Præses Monetarius, & quidam alij nullius nominis viri, qui scripta sua furtim ediderunt in lucem. In quorum gratiam placet hîc quoque subiungere:

Ecclesiasticam sententiam in pertinacissimum Gotescalcum propter incorrigibilem obstinationem illius, in Synodo apud Carisiacum habitâ à duodecim Episcopis, Ecclesiastico vigore prolatam.

FRATER GOTESCALC, sacrosanctum Sacerdotalis mysterij officium, quod irregulariter vsurpasti: & in cũctis moribus ac prauis actibus, atque peruersis doctrinis, eo hactenus abuti non pertimuisti, iudicio Spiritus sancti, cuius gratiæ munus est sacerdotale officium, per virtutem Sanguinis D. N. I. C. noueris tibi esse, si quo modo suscepisti, sublatum, & ne vlteriùs eo fungi præsumas penitùs interdictum. Insuper quia & Ecclesiastica & ciuilia negotia, contra propositum & nomen Monachi, conturbare, contemnens iura Ecclesiastica, præsumpsisti, DVRISSIMIS

VERBERIBVS te caſtigari, & ſecundum Eccleſiaſticas Regulas ERGASTVLO RETRVDI, AVCTORITATE EPISCOPALI DECERNIMVS: & vt de cætero doctrinale tibi officium vſurpare non præſumas, perpetuum ſilentium ori tuo virtute æterni Verbi imponimus. *Non deſunt Louanij in Belgio, & alibi Gotheſcalci contumaces: Quid ergo ceſſant verbera? Quid vacant ergaſtula?*

---

§. III.

Concilium VALENTINVM III. *licèt à Ianſenianis venditetur vt amicum, & Ebbonis Gratianopolitani Epiſcopi aduerſus Hincmarum perfuſum ſit aurugine,* IANSENIVM *tamen in pluribus damnat.*

I. INDVBITANTER Doctoribus piè & rectè tractantibus verbum veritatis, ipſiſque ſacræ Scripturæ lucidiſſimis expoſitoribus, id

Non vnì duntaxat Auguſtino vt Ianſenius, ſed cæteris Patribus in Catholica pietate quieſcentibus Catholici ſe ſubmittunt.

eſt, CYPRIANO, HILARIO, AMBROSIO, HIERONYMO, AVGVSTINO, cæteriſque IN CATHOLICA PIETATE quieſcentibus, reuerenter auditum, & obtemperanter intellectum ſubmittimus, & pro viribus, quæ ad ſalutem noſtram ſcripſerunt, amplectimur. Nam de PRÆSCIENTIA DEI, & DE PRÆDESTINATIONE, & de quæſtionibus aliis, in quibus FRATRVM ANIMI NON PARVM SCANDALIZATI probantur, illud tantùm firmiſſimè tenendum eſſe credimus, quod ex MATERNIS ECCLESIÆ VISCERIBVS nos hauſiſſe gaudemus. *Dicant hoc, ſentiántque ex animo Ianſenius, Sancyranus, Arnaldus, Magiſtri Fratres, Burzæus, Hamelius, Mareus, Mauguinus, Sanguelinus, Lanæus, Fromondus, Calenus, & ſi qui alij Ianſenianarum partium fautores, & cauſa peracta eſt. Ecce præſto ſunt* CONCILIA, PONTIFICES, PRÆSVLES, VNIVERSITATES, DOCTORES, RELIGIOSI ORDINES.

Vide aureā diſſertationem V. C. Vincentii Seuerini de Eccleſia præſentis temporis.

II. Nec prorſus vlli malo præſcientiam Dei impoſuiſſe neceſſitatem, vt aliud eſſe non poſſet, ſed

quòd ille futurus erat ex propria voluntate, ille ſicuti Deus, qui nouit omnia antequàm fiant, præſciit ex ſua omnipotenti & incommutabili maieſtate. Nec ex PRÆIVDICIO EIVS aliquem, ſed EX MERITO PROPRIÆ INIQVITATIS credimus condemnari: Nec ipſos malos ideò perire, quia BONI ESSE NON POTVERVNT, ſed quia BONI ESSE NOLVERVNT, ſuóque initio in maſſa damnationis, vel merito originali, vel etiam actuali, permanſerunt.

An amabo, eadem eſt Ianſenii, eiuſque ſequacium de reprobatione ſẽtentia pp. 58. 108. & aliis vſque ad 114.

III. Fidenter fatemur in electione ſaluandorum miſericordiam Dei præcedere meritum bonum; in damnatione autem periturorum meritum malum pręcedere iuſtum Dei iudiciũ. In malis ipſorum malitiam præſciſſe, quia ex ipſis eſt, non prædeſtinaſſe, quia ex illo non eſt. Aliquos ad malum PRÆDESTINATOS eſſe diuinâ poteſtate, videlicet vt quaſi aliud eſſe NON POSSINT, non ſolùm non credimus, ſed etiam ſi ſunt, qui TANTVM MALI credere velint, cum omni deteſtatione, ſicut ARAVSICANA SYNODVS, illis anathema dicimus.

Quid apertius docere poterant aduerſus Ianſenium Ieſuitæ?

Iterùm dico cæcum eſſe aut dementem, qui Prædeſtinatianos negauerit in tam clara luce.

Canoni ſequenti ſepiam Ebbo infudit his verbis: Porrò Capitula quatuor, quæ à Concilio Fratrum noſtrorum minùs proſpectè ſuſcepta ſunt, propter inutilitatem, vel etiam noxietatem, & errorem contrarium veritati explodimus. *Ea verò vt veritati penitùs aduerſa & lolliginis Ebbonianæ ſucco tincta ab ipſiſmet auctoribus ſublata ſunt è Canonibus Lingonenſis Synodi anno* 859. *celebratæ, quos Concilij Tullenſis apud Saponarias Patribus obtulerunt Remigius, Agilmarus, Ebbo, & cæteri coepiſcopi eorum. Sic enim ſe habet* IV. *p.* 153. *tertij tomi Conciliorum Galliæ:* Item de redemptione ſanguinis Chriſti propter nimium errorem, qui de hac cauſa exortus eſt, ita vt quidam, &c. vſque *ad multorum exhaurienda peccata.* Porrò Capitula numero XIX. ſyllogiſmis ineptiſſimè ac mendaciſſimè à quodam Scoto concluſa, vbi non argumentum fidei, ſed potiùs commentum perfidiæ paret, nullâ omninò Philoſophiæ arte, vt arroganter à quibuſdam iactatur, conſtructum, ſed inani fallaciâ & deceptione imperitiſſimè confuſum, à

pio auditu fidelium penitùs explodimus,&c. *Immutatum quoque deprehendi fuisse canonis lemma*. De redemptione sanguinis Christi, & de XIX. Capitulis cuiusdam Scoti; *cùm in Valentino habeatur*, & de quatuor & nouemdecim Capitulis. *Adeò verum est calumnias atque mendacia, cùm paullùm deferbuit ira, suis displicere authoribus; eósque lucem odisse Episcoporum ex* XII. *prouinciis collectorum, ac Regum & Principum Francorum, qui in occulto sagittauerant rectos corde.*

V. Firmissimè tenendum credimus, quòd omnis multitudo fidelium ex aqua & Spiritu S. regenerata, ac per hoc veraciter Ecclesiæ incorporata in eius sanguine sit à peccatis suis abluta, &c. ex ipsa tamen multitudine fidelium & REDEMPTORVM, alios saluari æternâ salute, quia per GRATIAM DEI in redemptione suâ fideliter permanent, ipsius Domini sui vocem in corde ferentes: *Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit*. alios, quia NOLVERVNT PERMANERE in salute fidei, quam initio acceperunt, REDEMPTIONISQVE GRA- Ergo aliquis perit & damnatur pro

quo Christus mortuus est, quod negauit impudentissimè Iansenius.

TIAM potiùs irritam facere prauâ doctrinâ, vel vitâ, quàm SERVARE ELEGERVNT, ad plenitudinem salutis; & ad perceptionem æternæ beatitudinis nullo modo peruenire: in vtroque siquidem doctrinam pij Doctoris habemus, &c. *Quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcauerit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, & spiritui gratiæ contumeliam fecerit?*

Damnatur totus ad calcem à capite Iansenius.

VI. Item de gratia, per quam saluantur credentes, & sine qua rationalis creatura nunquam beatè vixit; & de libero arbitrio per peccatum in primo homine infirmato, sed per gratiam Domini IESV fidelibus eius redintegrato & sanato; idipsum constantissimè, & fide plena fatemur, quod sanctissimi Patres auctoritate sacrarum Scripturarũ nobis tenendum reliquerunt; quod Africana, quod Arausicana Synodus professa est, quod beatissimi Pontifices Apostolicæ Sedis Catholicâ fide tenuerunt: sed & de natura & gratia, in aliam partem nullo modo declinare præ-

ſumentes. *Hoc credunt, & crediderunt hactenus Theologi Scholaſtici antiquiores, recentioreſque, cæterique Catholici Doctores, atque in his omnes omninò Societatis* IESV *Theologi, vel effuſo ſanguine, ſubſcribere parati ſunt: quos tamen à Lutheranis, Caluinianiſque edoctus Ianſenius infamare, corraſis è triuio calumniis, non erubuit, eiuſque diſcipuli, editis clanculariò libellis famoſis, exaggerare, & incautis mulierculis, ac viris quibuſdam imperitis oggerere ad nauſeam vſque, faſtidiumque audientium legentiumque non deſinunt. Ranæ ſunt è Gebennenſi lácu, & paludibus Saxonicis aduerſus Catholicæ veritatis* SOLEM *coaxantes.*





TRIVMPHVS CATHOLICÆ VERITATIS, ADVERSVS NOVATORES.

PARS SECVNDA.

IANSENIVS DAMNATVS A ROMANIS PONTIFICIBVS.

§. I.

PIVS V. *anno 1567. Jansenij dogmata cum Baianis damnauit.*

PIVS EPISCOPVS seruus seruorum Dei. Ad futuram rei memoriam. Ex omnibus afflictionibus, quas in hoc loco à Domino constituti, tam luctuoso tempo-

re ſuſtinemus, ille animum noſtrum præcipuè excruciat dolor, quòd Religio Chriſtiana tantis iampridem turbinibus agitata, nouis quotidie propoſitis opinionibus confligetur, Chriſtique populus antiqui hoſtis ſuggeſtione diſſectus, in alios atque alios errores paſſim & promiſcuè deferatur: Quantum verò ad nos attinet, totis viribus conamur, vt illæ ſimul atque proſiliunt, penitùs opprimantur: magno enim mœrore afficimur, quod plerique ſpectatæ alioqui probitatis & doctrinæ in varias ſententias OFFENSIONIS & PERICVLI plenas, tum verbo, tum ſcriptis prorumpunt; déque eis, etiam in Scholis, inuicem controuerſantur, cuiuſmodi ſunt ſequentes.

I. Nec Angeli, nec primi hominis adhuc integri, merita, rectè vocantur gratia. Propoſitio Ianſenii 126.

III. Et bonis Angelis, & primo homini, ſi in ſtatu illo perſeueraſſet vſque ad vltimum vitæ, felicitas eſſet merces, & non gratia. Eadem propoſitio cum præcedentibus.

VI. Naturali lege conſtitutum fuit homini, vt ſi in obedientia per- Pp. 119. 120. &c.

seueraret, ad eam vitam pertransiret, in qua mori non posset.

Pp.115.116. 120. & sequentes. VII. Primi hominis integri merita fuerunt primæ creationis munera, sed iuxta modum Scripturæ sacræ, non rectè vocantur gratia: quo fit, vt tantùm merita, non etiam gratiæ debeant nuncupari. *Eodem tendit IX.*

Pp.119.120. & aliæ. XI. Quòd piè & iustè in hac vita mortali vsque in finem conuersati, vitam consequimur æternam, id non propriè gratiæ Dei, sed ordinationi naturali statim initio creationis constitutæ iusto Dei iudicio, deputandum est: neque in hac retributione bonorum ad Christi meritum respicitur, sed tantùm ad primam institutionem generis humani, in qua lege naturali constitutum est, vt iusto Dei iudicio obedientiæ mandatorum vita æterna reddatur.

Pp.119.120. 126. XXII. Humanæ naturæ sublimatio & exaltatio in consortium diuinæ naturæ debita fuit integritati primæ conditionis, & potiùs naturalis dicenda est, & non supernaturalis.

Eadē planè XXIII. Cum Pelagio sen-

tiunt, qui textum Apoſtoli ad Romanos 2. *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter quæ legis ſunt, faciunt,* intelligunt de Gentibus fidem non habentibus. mens Ianſenii p. 64.

XXIV. Abſurda eſt eorum ſententia, qui dicunt hominem ab initio dono quodam ſupernaturali & gratuito ſupra conditionem naturæ ſuæ fuiſſe exaltatum; vt Fide, Spe, & Charitate Deum ſupernaturaliter coleret. Pp. 115. 116. 117. 118. 119. 120. 121. &c.

XXV. A vanis & otioſis hominibus, ſecundum inſipientiam Philoſophorum, excogitata eſt ſententia, quæ ad Pelagianiſmum reiicienda eſt; hominem ab initio ſic conſtitutum, vt per dona naturæ ſuperaddita fuerit largitate conditoris ſublimatus, & in Dei filium adoptatus. Ianſenius Pelagianiſmum allinere conatus eſt Theologis Catholicis Baianam doctrinam abhorrentibus.

XXVI. Omnia opera infidelium ſunt peccata, & Philoſophorum virtutes ſunt vitia. Pp. Ianſenii 71. 72. 73. 74.

XXVII. Integritas primæ creationis non fuit indebita naturæ humanæ exaltatio, ſed naturalis eius conditio.

XXVIII. Liberum arbitrium ſi- Pp. 24. 25. 26.

ne gratiæ Dei adiutorio, non nisi ad peccandum valet.

Pp. 64. 65. XXIX. Pelagianus est error dicere, quòd liberum arbitrium valet ad vllum peccatum vitandum.

Pp. 24. 25. 26. XXX. Non solùm fures ij sunt & latrones, qui Christum viam & ostium veritatis & vitæ negant; sed etiam quicumque aliunde, quàm per Christum in viam iustitiæ, hoc est, ad aliquam iustitiam conscendi posse dicunt, aut tentationi vlli sine gratiæ ipsius adiutorio resistere hominem posse, sic vt in eam non inducatur, aut ab ea non superetur.

Pp. Iansenii 75. 76. XXXIV. Distinctio illa duplicis amoris, naturalis videlicet, quo Deus amatur, vt auctor naturæ; & gratuiti, quo Deus amatur, vt beatificator, vana est, & commentitia, & ad illudendum sacris litteris, & plurimis veterum testimoniis excogitata.

Pp. 67. 68. 69. 70. & sequentes. XXXV. Omne quod agit peccator, vel seruus peccati, peccatū est.

Pp. 75. 76. XXXVI. Amor naturalis, qui ex viribus naturæ exoritur, ex sola philosophia per elationem præsumptionis humanæ cum iniuria Crucis

Christi defenditur à nonnullis Doctoribus.

XXXVII. Cum Pelagio sentit, qui boni aliquid naturalis, hoc est, quod ex solis naturæ viribus ortum ducit, agnoscit. Eædem pp.

XXXVIII. Omnis amor creaturæ rationalis, aut vitiosa est cupiditas, quâ mundus diligitur, quæ à Ioanne prohibetur; aut laudabilis illa charitas, quâ per Spiritum sanctum in corde diffusâ Deus amatur. Pp. 67. 68. 69.

XXXIX. QVOD VOLVNTARIE FIT, ETIAMSI NECESSARIÒ FIAT, LIBERE TAMEN FIT. Pp. 1. 2. 3. 4. 5. & seqq.

XL. In omnibus suis actibus peccator seruit dominanti cupiditati. Pp. 67. 68. &c.

XLI. Is libertatis modus, qui est à necessitate, sub libertatis nomine non reperitur in Scripturis, sed solùm nomen libertatis à peccato. Pp. 5. 6. 8. &c.

XLVI. Ad rationem & definitionem peccati non pertinet voluntarium: nec definitionis quæstio est, sed causæ & originis, vtrum omne peccatum debeat esse voluntarium. Pp. Iansenii 14.

L. Praua desideria, quibus ratio non consentit, & quæ homo inuitus Pp. 29. 30.

patitur, sunt prohibita præcepto, *Non concupisces.*

Eædem pp. LI. Concupiscentia, siue lex membrorum, & praua eius desideria, quæ inuiti sentiunt homines, sunt vera legis inobedientia.

Burzæus & anonymi Ianseniſtæ idem scripsere, quos eruditè refellit D. Morellus Doctor Sorbonicus.

LIV. Definitiua hæc sententia; *Deum homini nihil impoßibile præcepisse*, falsò tribuitur Augustino, cùm Pelagij sit.

LV. Deus non potuisset ab initio talem creare hominem, qualis nunc nascitur.

Pp. 116. &c. Pp. 66.

LXI. Illa Doctorum distinctio, *Diuinæ legis mandata bifariam impleri*, altero modo, quantùm ad præceptorum operum substantiam tantùm; altero, quantùm ad certum quemdam modum, videlicet secundum quem valeant operantem perducere ad regnum æternum, hoc est, ad modum meritorum, commentitia est & explodenda.

Pp. 67. 68. & seq.

LXV. Non nisi Pelagiano errore admitti potest vsus aliquis liberi arbitrij bonus, siue non malus; & gratiæ Christi iniuriam facit, qui ita sentit, & docet.

LXVI.

LXVI. SOLA VIOLENTIA REPVGNAT LIBERTATI HOMINIS NATVRALI. Pp. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. &c.

LXVII. HOMO PECCAT, ETIAM DAMNABILITER, IN EO QVOD NECESSARIÒ FACIT. Pp. 12. 16. 17. 18. 28. 31. 32.

LXVIII. Infidelitas purè negatiua in iis, in quibus Christus non est prædicatus, peccatum est.

LXXII. Omnes omninò iustorum afflictiones sunt vltiones peccatorum ipsorum, vnde Iob & Martyres, quæ passi sunt, propter peccata sua passi sunt. Pp. 123. 124. 125.

LXXIII. Nemo præter CHRISTVM est absque peccato originali: hinc BEATA VIRGO mortua est propter peccatum ex Adam contractum, omnésque eius afflictiones in hac vita, sicut & aliorum iustorum, fuerunt vltiones peccati actualis, vel originalis. Idem ex Iansenii dogmatibus necessariò sequitur.

LXXV. Motus praui concupiscentiæ sunt pro statu hominis vitiati, prohibiti præcepto; *Non concupisces:* vnde homo eos sentiens, & non consentiens, transgreditur præceptum: *Non concupisces:* quamuis trans- Pp. 27. 28. 29. 30.

gressio in peccatum non deputetur.

Pp.115.116. 117. 118. 119.

LXXVIII. Immortalitas primi hominis non erat gratiæ beneficium, sed naturalis conditio.

Pp.120.121. 122. 123. 124.125.

LXXIX. Falsa est Doctorum sententia, primum hominem potuisse à Deo creari & institui sine iustitia originali.

Mirare, Lector, præclara Iansenianæ doctrinæ elogia, ab ipso Catholicæ Veritatis oraculo profecta. Quis, amabo, Pontifex Sorbonicorum, Iesuitarũ, aliorumq; Catholicorũ oppositas Iansenianis assertiones damnauit, circumscripsit, aboleuit? Anathemate innodatum Iansenium nemo sanus dubitat, an

Quas quidem sententias stricto coram NOBIS EXAMINE ponderatas, quanquam nonnullæ aliquo pacto sustineri possint, IN RIGORE ET PROPRIO VERBORVM SENSV AB ASSERTORIBVS INTENTO HÆRETICAS, ERRONEAS, SVSPECTAS, TEMERARIAS, SCANDALOSAS, & in pias aures offensionem immittentes, respectiuè, ac quæcumque super iis verbo scriptóque emissa, præsentium auctoritate DAMNAMVS, CIRCVMSCRIBIMVS; & ABOLEMVS; déque iisdem & similibus posthac quoquo pacto loquendi, scribendi & disputandi facultatem, quibuscumque INTERDICIMVS. Qui secùs fecerint, ipsos omnibus dignitatibus, gradibus, honoribus, beneficiis, & officiis perpetuò priuamus, ac etiam

inhabiles ad quæcumque decernimus, VINCVLO quoque ANATHEMATIS eo ipso INNODAMVS, à quo nullus ROMANO PONTIFICE inferior, valeat ipsos, excepto mortis articulo, LIBERARE, &c. Datum Romæ apud sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MDLXVII. Kalendis Octobris, Pontificatus nostri anno secundo.

ab eo in mortis articulo absolutus fuerit quærũt omnes à Fromondo & Caleno.

---

§. II.

GREGORIVS XIII. *anno 1579. Iansenij dogmata cum Baianis damnauit post Pium V.*

GREGORIVS Episcopus seruus seruorum Dei, ad futuram rei memoriam. Prouisionis nostræ debet prouenire subsidio, vt ea, quæ à Prædecessoribus nostris emanarunt, SVADENTE MAXIME FIDEI CATHOLICÆ CONSERVATIONE, vbicumque ipsis opus est, producantur. Quare nos tenorem Litterarum fel. record. Pij Papæ V. prædecessoris nostri in

eius Registro repertum describi & præsentibus annotari fecimus, qui talis est: Pius *Episcopus*, &c.

Cæterùm volumus, vt earumdem litterarum tenori hîc inserto illa ipsa omninò fides adhibeatur, vbicunque, & quandocunque, siue in iudicio, siue alibi, ille fuerit exhibitus vel ostensus, sicut illius originalibus litteris prædictis adhiberetur, si ipsæ exhiberentur vel ostenderentur. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostræ voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac Beatorum Petri ac Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ 1579. quinto Kal. Febr. Pontificatus nostri anno octauo.

Eiusdem Gregorij XIII. ad Michaelem Baium Breue, & nonnulla alia eodem spectantia proximæ editioni seruabuntur, ne nimiam in molem excrescat hic liber.

§. III.

VRBANVS VIII. *anno 1641. Iansenij dogmata vnà cum Baianis damnauit Bullâ quæ incipit:*

VRBANVS Episcopus seruus seruorum Dei ad PERPETVAM rei memoriam. IN EMINENTI Ecclesiæ militantis Sede meritis licèt imparibus constituti, sedulò meditamur, vt quæ AD FIDEI CATHOLICÆ OBSERVATIONEM à Prædecessoribus nostris prouidè statuta & ordinata sunt firmiter PERPETVÒ obseruentur, & cùm opus sit, nostræ auctoritatis munimine confirmentur. Dudum siquidem à fel. record. Pio Papa V. Prædecessore nostro emanauit Constitutio tenoris subsequentis, videlicet, *Pius Episcopus*, &c.

Dogmatica bulla est, eáque non ad tempus duntaxat. Vide quæ in eam rem fusiùs disputat Ripalda.

Nouissimè tandem accepto per nos in oppido (ciuitate nuncupato) Louaniensi, quosdam assertos CORNELII IANSENII, olim EPISCOPI IPRENSIS, executores ex testamen-

Libertinus Fromondus & Henricus Calenus; qui, qualésque viri norunt Belgæ, quàm contumaces hactenus ac refractarii aduersus Sedem Apostolicam.

to in lucem edi curasse librum, cui titulus, AVGVSTINVS, ex professo continentem & tractantem materiam de Auxiliis, nullâ penitùs petitâ vel obtentâ à dicta Congregatione licentia illum imprimendi; eiusq; operis occasione Patres Soc. IESV nonnullas in ciuitate Antuerpiensi de eadem materia tractantes Theses pariter absque licentia eiusdem Congregationis, imprimi curasse; opinionésque Iansenij in prædicto libro contentas oppugnasse, &c. dictum librum IANSENII, cui titulus, AVGVSTINVS, Louanij impressum, necnon Theses à Patribus Societatis IESV Antuerpiæ in lucem editas de nouo prohibuimus, &c.

Re maturè ac diligenter perpensa docet Papa Vrbanus VIII. in Iansenii libro damnatas contineri pp. magno cũ Catholicorum scandalo.

Cùm autem ex diligenti & maturâ eiusdem libri, cui titulus, AVGVSTINVS, lectione postmodum compertum fuerit in eodem libro MVLTAS EX PROPOSITIONIBVS à Prædecessoribus nostris OLIM, vt præfertur, DAMNATAS CONTINERI & MAGNO CVM CATHOLICORVM SCANDALO, & AVCTORITATIS DICTÆ SEDIS CONTEMPTV contra præfatas DAM-

NATIONES & prohibitiones DEFENDI. Nos huic malo in SCANDALVM totius REIPVBLICÆ CHRISTIANÆ, & FIDEI CATHOLICÆ PERNICIEM vertenti, opportunum remedium adhibere volentes, Constitutiones Gregorij ac Pauli prædecessorum nostrorum, nec non Decretorum huiusmodi totos & integros tenores, ac datas, etiam veriores præsentibus, pro totaliter expressis & insertis habentes, MOTV PROPRIO, & ex certa scientia nostra, ac de APOSTOLICÆ POTESTATIS PLENITVDINE hac perpetuò valiturâ Constitutione eiusdem Pij & Gregorij prædecessorum huiusmodi Constitutiones prædictas, omniáque & singula in eis contenta, Apostolicâ auctoritate tenore præsentium perpetuò confirmamus & approbamus, LIBRVMQVE PRÆDICTVM, cui titulus est AVGVSTINVS, ARTICVLOS, OPINIONES ET SENTENTIAS in dictis Constitutionibus REPROBATAS ATQVE DAMNATAS, VT A NOBIS COMPERTVM EST, CONTINENTEM & RENOVANTEM, aliáque omnia opera, &c. per præ-

Doctrina Iansenii malum est in fidei Catholicæ perniciem vertens.

Iterata damnatio Iãsenii in bulla Vrbani VIII. plurimùm ab eruditis viris obseruanda, vt imperitos doceant, & conterant contumaces ac refractarios Iansenistas.

ſentes omninò prohibemus, &c. Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MDC XLI. pridie Nonas Martij, Pontificatus noſtri anno 19. Affixa die 19. Iunij anno MDCXLIII. Indictione vndecimâ, Pontificatus Vrbani VIII. vigeſimo.

Bulla hæc, quâ damnantur Cornelij Ianſenij errores, Romæ, aliiſque in locis ſæpiùs excuſa eſt ſeorſim: quia verò facilis eſt iactura vnius, alteriuſque folij, eadem integra cum quibuſdam aliis recuſa eſt ad calcem Tomi tertij Ioannis Martinez de Ripalda de Ente ſupernaturali aduerſus articulos à Pio V. Gregorio XIII. & Vrbano VIII. damnatos, necnon in fine libri Illuſtriſſimi D. Domini Iſaaci Haberti Epiſcopi Vabrenſis, qui inſcribitur, Defenſio Fidei Eccleſiæ aduerſus doctrinam Ianſenij.

EXEMPLAR LITTERARVM S. Officij ad D. Abbatem S. Anaſtaſiæ Vice-nuncium Bruxellæ anno 1643.

COMPARVERE hîc ab hinc dies aliquot Doctor Ioannes Sinnich &

Cornelius de Pape, afferentes litteras Vniuersitatis Louaniensis, Prælatorum, Nobilium, ac Vrbium Brabantiæ, ad S. D. N. Præcipuum negotium quod ipsi agunt, est, vt conseruentur priuilegia dictæ Vniuersitatis, prætendúntque actam in hac Curia Rotæ causam nonnullam aliter atque ipsi disposuerint. Postmodum Doctor Sinnich, quasi per transennam, egit de Bulla publicata contra DOCTRINAM IANSENII, & quantum colligi potest, optaret eam aut REVOCARI, aut saltem MITIGARI. Verùm intellexit ex sanctissimo Domino nostro velle, vt huic accuratè pareatur, atque ipsi eidem à me significatum est & declaratum eam esse VERAM, & attendendum ad exemplar, quod Romæ excusum est, non verò ad illa quæ aut Coloniæ, aut Parisiis sunt impressa. Volùi de his vestram Dominationem certiorem facere, vt si forsan Doctorem Sinnich AD FOVENDAS CONTENTIONES, alendámque REFRACTARIORVM, & huic Constitutioni inobedientium CONTVMACIAM, aliter

Sinnichii Iansenistæ fraudes & conatus Romæ irriti.

Ianseniani contumaces, refractarii, inobedientes côtentiones fouent, a-

luntque in Belgio, Parisiis, vbique.

ad Vniuersitatem Louaniensem, aut ad alios scribere contingat, ac spem faciat fore, vt Bulla reuocetur, aut mitigetur, Dominatio vestra vnumquemque de veritate rei edocere, déque eâ Vniuersitates Belgij, illiusque Prælatos securos reddere possit, numquam ne per minimam quidem cogitationem sanctissimo Domino nostro venturum in mentem, vt Bullam hanc quacumque demùm suâ parte immutet, verùm fore vt inuigilet, vt ei obtemperetur, atque ea seruetur. Romæ 5. Decembris 1643.

Feria V. *die* XVII. *Iunij* MDCXLIV.

In Generali Congregatione S. Romanæ, & vniuersalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico apud S. Petrum coram S. D. N. D. Vrbano diuina prouidentia Papa VIII. ac eminentissimis & reuerendissimis Dominis Cardinalibus contra hæreticam prauitatem in tota Republica Christiana Generalibus Inquisitoribus, à sancta Sede Apostolica specialiter deputatis.

Cvm post publicatam Bullam S. D. N. contra librum Cornelii Iansenii olim Iprensis Episcopi, cui

titulus AVGVSTINVS, excitatæ fuerint variæ difficultates occasione diuersitatis exemplarium Bullæ præfatæ, & aliorum, de quibus in nonnullis libellis diuulgatis: cúmque per IOANNEM SINNICHIVM & CORNELIVM PAPIVM DOCTORES VNIVERSITATIS LOVANIENSIS fuerint præsentatæ litteræ eiusdem Vniuersitatis, necnon porrectus supplex libellus S. D. N. pro dictæ Bullæ veritate, & intentione Sanctitatis suæ circa illam indaganda: idem Sanctissimus litteras & libellum præfatum Sacræ Congregationi supremæ & Vniuersalis Inquisitionis remisit, vt per eam de contentis in illis informaretur, prout successiuè informatus mandauit per EE. ac RR. DD. Cardinales BERNARDINVM SPADAM, IOANNEM BAPTISTAM PAMPHILIVM, & LÆLIVM FALCONERIVM, tres ex supremis Inquisitoribus, antedictos Sinnichium & Papium audiri, & deinde Sanctitati suæ ab eis deducta referri: Qui quidem Domini Cardinales in executionem dicti mandati præfatos Do-

Ioannes Baptista Pamphilius, nunc Innocentius Papa X.

ctores verbo & scripto multa deducentes, tum congregatim, tum priuatim audierunt, eáque omnia in præfata suprema & vniuersali Congregatione priùs communicata, ac ibi pluries discussa, vnà cum voto ipsius Congregationis S. D. N. diligentissimè retulerunt. Sanctitas verò suâ auditâ relatione, & voto præfatis, necnon OMNIBVS MATVRE PERPENSIS & consideratis, mandauit ex Archiuo eiusdem Congregationis, & ex Matrice actorum, quæ in eodem Archiuio conseruantur, extrahi, siue transcribi, & diligenter collationari ac imprimi exemplar Bullæ præfatæ, illúdque sic extractum, collationatum & impressum eisdem SINNICHIO & PAPIO per supradictos DD. Cardinales SPADAM, PAMPHILIVM, & FALCONERIVM consignari, ipsísque insuper, SINNICHIO & PAPIO, intimari & significari: suæ Sanctitatis mentem & voluntatem esse, vt eidem exemplari sic consignato fides adhibeatur, & ab omnibus Christi fidelibus *(an Christi fideles dicendi sint, viderint*

Non ergo fictitia bulla, eiusque auctores Iesuitæ, vt Louanienses Ianseniani, & Arnaldistæ Parisienses scriptis, verbisque prædicabant.

porrò Ianseniani Parisienses N. N. N.) Bullæ huiusmodi omninò PAREATVR sub pœnis & censuris in ea contentis, & demùm super deliberationibus, difficultatibus ac querelis occasione præfatæ Bullæ quoquo modo excitatis vel excitandis perpetuum silentium imponi, prout imposuit, & ita, &c. Non obstantibus omnibus & quibuscumque in contrarium adductis & deductis, &c. Insuper & Sanctitas sua mandauit iuxta sensum præfatum scribi per eandem S. Congregationem Nuntiis Apostolicis, ac locorum Ordinariis, & expediri litteras ad Gubernatorem Flandriæ, & Vniuersitatem Louaniensem, & alios, &c.

Fidem facio ego Notarius publicus infrascriptus qualiter die 29. Iulij MDCXLIV. *in executionem supradicti Decreti fuit à supranominatis EE. & RR. DD. Cardinalibus,* SPADA, PAMPHILIO, *&* FALCONERIO, *datum, & cum effectu consignatum in propriis manibus* DD. IOANNIS SINICH, *&* CORNELII PAPII, *Professorum Vniuersitatis Louaniensis, exemplar Bullæ S. D. N.*

Vrbani Papæ VIII. contra LIBRVM *quemdam Reuerendissimi* CORNELII IANSENII *olim Episcopi Iprensis, intitulatum* AVGVSTINVS, *& alios libros, & opuscula contenta in eadem Bulla, iisque ab iisdem EE. DD. Cardinalibus intimatam & significatam suæ Sanctitatis mentem & voluntatem, vt in præfato Decreto præsentibus testibus opportunis, & cum assistentia R. D. Francisci de Albizis eiusdem sanctæ vniuersalis Inquisitionis Assessoris. In quorum fidem me subscripsi, & sigillo sanctæ Inquisitionis muniui die* 30. *Iulij anni* MDC XLIV. *Et erat subscriptum, Ita est, Ioannes Ant. Thomasius præfatæ S. V. I. Notarius, & appositum sigillum sanctæ Congregationis.*

EX BREVIBVS EIVSDEM Vrbani VIII. Papæ, pro Constitutione contra Corn. Iansenij Augustinum à se edita:

Dilecto filio nobili viro FRANC. DE MELLO BELGII GVBERNATORI.

ASSIDVE conatur, &c. Cùm in prænarrato libro multas PROPOSI-

TIONES à prædecessoribus nostris DAMNATAS contineri ac defendi COMPERTVM fuerit, eorumdem Pontificum Constitutiones peculiari diplomate confirmauimus, ipsumque IANSENII librum, ac reliqua opera nostris inserta litteris reprobauimus anno I. D. MDCXLI. pridie Nonas Martij. Quæ sanè nostra Constitutio die 19. Iunij anno MDCXLIII. affixa in Vrbe ac publicata fuit. Etenim nos IANSENII existimationi prospicientes eiusmodi publicatione per id temporis spatium supersederi mandauimus, eâ spe freti, vt IANSENIANI APOSTOLICIS Decretis, quæ antè vulgata fuerant, tandem acquiescerent. Nunc quorumdam CONTVMACIAM eò processisse non sine ingenti animi ægritudine audiuimus, vt prædictam Constitutionem falsitatis insimulare INIQVISSIME audeant, &c. Nunc igitur Apostolicas ipsas litteras executioni demandari plurimùm optantes, à Nobilitate tua maiorem in modum petimus, operam sedulò adhibeas, vt Constitutioni nostræ, ea, quâ par est, obedientia plenius de-

Quàm meritò contumaces & refractarii, qui post 10. iam annos acquiescere detrectant! Ianseniaños vocat Pontifex Iansenii sectæ addictos. Sic à Caluino, Caluiniani, à Luthero Lutherani dicti sunt.

feratur, atque aduersus illos, qui PONTIFICIA IVSSA DETRECTARINT, strenuè Apostolicæ auctoritatis propugnatorem te præbeas. Romæ 24. Oct. MDXIIII.

Archiepiscopo Mechliniensi
Vrb. PP. VIII.

Ad hoc Pōtificium Breue prouoco Arnaldū, Magistros, Burzæum, Bouæum, Hameliū, Lanæum, Maræum, totámque refractariorum turbā.

VINCVLA Christianæ charitatis, quæ animos mutuò obstringunt, non sine ingenti damno disrumpi perspectum est, dum ob acriter concitatas in rebus ad Catholicam fidem pertinentibus controuersias ingenia traducuntur in partes. Ac proinde ad tollendas dissensiones, quæ ob editum CORN. IANSENII LIBRVM, qui inscribitur, AVGVSTINVS, exortæ fuerant, iampridem super nonnullis conclusionibus in disputationem vocatis, scribendi atque disputandi facultatem interdiximus: & deinde peculiari Constitutione ipsum IANSENII librum, quippe qui OPINIONES à PIO V. & GREGORIO XIII. Prædecessoribus nostris DAMNATAS CONTINERE & TVERI DEPREHENSVS

Cæcum, dementē, hæreticum

SVS fuit, omninò REPROBAVIMVS pridie Nonas Martij 1641. Quæ Constitutio 19. Iunij 1643. publicata in Vrbe fuit. Pontificiæ tamen sollicitudinis zelum, contrà quàm sperabamus parùm apud QVOSDAM profecisse audiuimus, & quemadmodum par est, vehementer doluimus. Aliqua enim ad falsitatem diplomatis indicandam non minùs LEVITER quàm IMPVDENTER obiiciunt; de protractu illius publicationis, de anno in Coloniæ exemplaribus immutato, ac erroribus incuriâ Typographi exortis: quæ omnia quanti ponderis sint, vnusquisque perspicit. In tam APERTA ipsorum CONTVMACIA tuæ vigilantiæ officia elucere cupimus, vt quam in eximia, quâ polles, pietate spem posuimus, illam PRIMO quoque TEMPORE in optatum gaudium conuertas. Quamobrem obnixè flagitamus, vt INTOLERABILEM eorum ARROGANTIAM coërceas, ipsósque ad parendũ Apostolicæ Sanctioni quoquo pacto compellas: non exiguus erga te nostræ beneuolentiæ cumulus accedet, si diligenter operam ad-

esse oportet, qui Iãsenianorum leuitatem, impudentiam, apertam contumaciam atque intolerabilem arrogantiam non videat aut execretur, in tam clara Romani Pontificis sententia.

Poteratne summus Pontifex apertiùs mentem suam de Iansenio à se damnato declarare. Aperiant

ad hunc Solem oculos viri alioqui nō mali, quos N. N. N. similesque arrogantes, impudentes & contumaces Ianseniani deludunt.

hibueris, vt tam IVSTI VOTI compotes efficiamur, qui fraternitati tuæ à bonorum omnium largitore iugem precamur felicitatem, & Pontificiam benedictionem ex animo impertimur. Datum Romæ 24. Octobris anno MDCXLIII.

Arch. Cameracensi Vrb. PP. VIII.

QVAM graue,&c. eò processit aliquorum AVDACIA, vt VERISSIMVM hoc DIPLOMA, & sanctæ Sedis oraculum leuissimis prætextibus FALSITATIS insimulare præsumant: qui quanto se piaculo obstringant grauissimæ censurarum pœnæ in eos inflictæ satis docent. Ex eorum autem PERTINACIA,&c. Romæ 24. Octobris 1643.

Episcopo Antuerpiensi Vrb. PP. VIII.

QVI aliquo,&c. Constitutionem nostram à quibusdam IANSENII ASSECLIS IMPVDENTER atque INANIBVS prorsus RATIONIBVS oppugnari audiuimus,&c. Romæ 24. Octobris 1643.

Iansenii asseclarum præclaræ

Academiæ Louaniensi Vrb. PP. VIII.

QVANTA in opinionibus errorem & scandalum, &c. ingenti animi æ-

gritudine audiuimus aliquos non defuisse, quorum TEMERITAS eò prolapsa est, vt prædictam Constitutionem INANIBVS ARGVMENTIS in dubium vocare, & FALSITATIS arguere non sunt veriti, &c. Romæ 24. Octob. 1643.

Academiæ Duacenæ Vrb. PP. VIII.

OMNIPOTENTIS imperium in Pontificia auctoritate despicitur, quotiescumque Apostolicis sanctionibus repugnatur. Quamobrem IMPVDENS aliquorum TEMERITAS satis improbari non potest, qui Constitutionem de Cornelij Iansenij, &c. fiducia quam in BONORVM ZELO, & præsertim DVACENSIS ACADEMIÆ pietate constituimus, &c. Romæ 24. Oct. 1643.

dotes Romano Pontifici probè cognitæ, pertinacia, impudentia, temeritas, falsitas, audacia, leuissimi prætextus, inanes rationes, &c. Videant incauti mortales quos duces sequantur, ne cum iis in foueam cadant.



---

§. IV.

INNOCENTIVS X. *anno 1645. & sequentibus, damnationem Iansenij confirmat datis ad plures litteris.*

Marchioni Castrirodrigi Gubernatori Belgij.

Iansenium expressisse damnatam & abolitam Michaelis Baii doctrinam affirmat Pontifex, negant Fromondus, Arnaldus, Burzæus, &c. Proh superi! & iis credunt mulierculæ oneratæ peccatis atque imperita plebecula turpiter delusa.

QVAM vbique, &c. in isthoc ab hac sancta Sede vetito IANSENII libro EXPRESSAM noscimus, ac REASSVMPTAM DOCTRINAM MICHAELIS BAII, cuius improbatis opinionibus vehementer commotus Philippi II. claræ memoriæ Regis animus eâ æstuauit sollicitudine ac zelo, vt præcipuis ille monitis suo in Vrbe Oratori acriter præscripserit impensè ageret cum Pontificibus prædictis PIO ac GREGORIO, vt eas ABOLITAS omninò vellent ac DAMNATAS; eodémque studio transmitti in Belgium impetrauit Religiosum virum FRANCISCVM TOLETVM

conſecuto mox tempore S. R. E. Cardinalem, quo is ea de re Diplomata in Lovaniensi Academia publica fieri ac recipi ſedulò curaret, &c. A dilecto filio Abbate S. Anaſtaſiæ, qui has tibi à Nobis litteras reddet, plurima in hanc rem audies, &c. Romæ 2. Martij 1645.

Archiepiſcopo Mechlinienſi, Innocentius Papa X.

Omni charitatis, &c. 20. Februarij 1645.

Archiepiſcopo Cameracenſi, Innocentius Papa X.

Cùm non ita pridem, &c. datum 20. Febr. 1645.

Epiſcopo Antuerpienſi, Innoc. Papa X.

Elapſis proximè annis, cùm liber, Auguſtinus inſcriptus, Cornelij Ianſenij Iprenſis quondam Epiſcopi nomine excuſus, multorum incendiſſet ingenia, &c. Romæ 20. Feb. 1645.

Epiſcopo Gandenſi, Innoc. Papa X.

Cùm felic. record. &c. Romæ 20. Febr. 1645.

Epiſcopo Brugenſi, Innoc. Papa X.

Si quod ipſi, &c. Romæ 20. Febr. 1645.

Episcopo Iprensi, Innoc. Papa X.

Ante annũ 1640. pacata erant inter Catholicos omnia: quis pro Gomaristis & Dordrechtana Synodo classicum cecinit? respondeant Fromondus, Calenus, Arnaldus, Burzæus, &c.

Haud veremur, quin fraternitas tua optimè norit, quas inter Catholicos istarum partium dissensiones induxerit liber typis excusus CORNELII IANSENII Iprensium quondam Episcopi nomine, ac titulo notatus AVGVSTINVS, futuras illas acerbiores & exitiales, &c. Romæ 20. Feb. 1645.

Episcopo Ruremondi, Innoc. Papa X.

Cùm ad felicis, &c. Romæ 20. Feb. 1645.

Episcopo Tornacensi, Innoc. Papa X.

Ex libro Cornelij Iansenij, &c. Romæ 20. Feb. 1645.

Episcopo Namurcensi, Innoc. Papa X.

Cùm ex libro, &c. Romæ 20. Feb. 1645.

Episcopo Audomarensi, Innoc. Papa X.

Editum non ita pridem, &c. Romæ 20. Feb. 1645.

Vniuersitatis Sorbonæ Theologis & Professoribus.

Non vos latet, dilecti Filij, quas liber Augustinus inscriptus, sub nomine CORNELII IANSENII Iprensium olim Episcopi typis editus, quan-

táſque diſſenſiones inter Catholicos viros eius doctrinæ aduerſos, addictóſque excitarit, &c. Romæ 20. Feb. 1645.

Academiæ Louanienſis Theologis & Profeſſoribus.

Fundatam Dei ſanguine Eccleſiam, &c. Romæ die 20. Feb. 1645.

Academiæ Duacenſis Theologis ac Profeſſoribus.

Inſignis veſtra Academia, &c. Romæ 2. Martij 1645.

Ad M. Guillelmum ab Angelis S.T. D. Louanienſem.

Probat ſeſe, &c. vt ſanctæ huius Sedis decretis ac mandatis obtemperetur, quæ contra Ianſenij librum AVGVSTINVM inſcriptum ritè iam anteà prodiere. Quibus ſanè decretis, ſua vt conſtet vis, atque obedientia deferatur, conſtanter volumus: quod certè, qui in Eccleſiæ gremio ſunt filii, ſi detrectent, in dedecus ſeſe ac perniciem induiſſe non obſcurè ſentient, &c. Romæ 7. Iulij 1646.

Decreta ac mandata S. Sedis contra Ianſenium non detrectant, qui in Eccleſiæ gremio ſunt filii.

LEOPOLDO GVILLELMO, *ex Archiducibus Auſtriæ, Epiſcopo Argentinenſi*, INNOC. PP. X.

SPECTATVS Nobis per omnia in fraternitate tua Catholicæ Religionis cultus, eiúſque ſeruandæ ac tuendæ accuratus ac ſollicitus zelus, ingenitus ille Auſtriaco generi, ac planè coalitus, exemplo nunc ſeſe præcipuo probat, quod nuper dilectus filius Abbas S. Anaſtaſiæ datis ad Nos litteris retulit, de tua nimirùm prouida cura atque opera, vt Apoſtolicæ Sedis mandatis obtemperetur, in iis, quæ ad IANSENIANAM DOCTRINAM ſpectant: vtque ad ECCLESIARVM in BELGIO EPISCOPATVS apti viri, atque Apoſtolicis decretis, illiſque præſertim, quæ CATHOLICAM FIDEM reſpiciunt, obſequentes ſine mora nominentur. Hæc ſanè omnia ſingulari noſtrum animum affecere lætitia, &c. Romæ die 9. Septembris 1647.

Non nominantur ad Eccleſiarum in Belgio Epiſcopatus, qui Apoſtolicis cõtra Ianſenium decretis non obſequuntur.

Sedecim iſthæc INNOCENTII PP. X. *Breuia integrè excuſa reperies ad calcem Tomi 3. Ioannis Martinez de Ripalda de Ente ſupernaturali aduerſus Baium,*

& Baianos Coloniæ Allobrogum anno 1648. *cum Bulla Vrbani VIII. & sex eiusdem Pontificis ad diuersos datis Breuibus ac nonnullis aliis. Eadem quoque priùs prodierant in Belgio minori forma.*

---

§. V.

Damnatio libelli Gallici, qui inscribitur CATECHISMVS GRATIÆ, *in quo damnatæ Iansenij propositiones renouantur, &c. Edita Romæ feriâ* V. *die* VI. *Octobris* 1650.

HOc anno 1650. editus libellus Gallico idiomate, cui titulus CATECHISME DE LA GRACE, sine nomine Auctoris, & absque impressionis loco. Contra doctrinam in eo libello contentam, Libellus alter pariter idiomate Gallico impressus est, cui titulus, CATECHISME, ou ABBREGE' DE LA DOCTRINE, TOVCHANT LA GRACE DIVINE, SELON LA BVLLE DE PIE V. GREGOIRE XIII. VRBAIN VIII. ANTIDOTE

CONTRE LES ERREVRS DV TEMPS: *Par vn Docteur de la sacrée Theologie de Doüay. A Doüay, chez la veufue Marc Wion, à l'enseigne du Phenix* 1650. Cúmque in Opusculis prædictis materia Gratiæ Diuinæ, & Liberi Arbitrij contineretur, præfatus Sanctissimus D. N. ne mentes fidelium ex eorum lectura, periculo, & scandalo exponerentur, per Theologos, sacræ Congregationis Qualificatores, ad hoc specialiter deputatos, doctrinam in eis contentam examinari mandauit, eorúmque censurâ demùm relatâ, & auditis votis Eminentissimorum, & Reuerendissimorum DD. Cardinalium Generalium Inquisitorum, Libellum vtrumque, siue Gallico, siue alio idiomate excusum, prohibendum censuit, prout præsenti Decreto omninò prohibet. Primum siquidem, cui titulus CATECHISME DE LA GRACE, quia in eo continentur quamplures sententiæ, aliàs per fel. recor. Pium V. Greg. XIII. & Vrbanum VIII. damnatæ: Ambos verò, quia ex professo tractant materiam de Auxiliis,

Obserua discrimen huius Decreti, quo Catechismum, & quo illius Antidotum notat. Priorem enim


quam non licuit imprimere, nisi priùs obtentâ à Sede Apostolica licentiâ, iuxta Decreta piæ mem. Pauli V. & Vrbani VIII. Et propterea eorum Auctores pœnis in prædictis Constitutionibus, & Decretis Apostolicis contentis subiacent. Denique quia in forma, & sub nomine Catechismi vernaculâ Gallorum linguâ vulgati sunt: cùm tamen materia in eis digesta superet captum vulgi, cui lac potum dari oportet, non escam istam, quam glutire non potest. Mandat propterea Sanctitas sua, vt nemo cuiuscumq; gradus, & conditionis existat, etiam speciali, & specialissimâ notâ dignus, libellos prædictos, aut aliquem ex illis apud se retineat, aut legat, néve imprimere, aut curare imprimi audeat, sub censuris, & pœnis contra huiusmodi delinquentes statutis, sed statim à præsentis Decreti notitia illos locorum Ordinariis, vel Inquisitoribus consignet.

IOANN. ANT. THOMASIVS, *S. Romanæ, & vniuersalis Inquisitionis Not.*

ANNO *à Natiuitate D. N.* IESV CHRISTI *millesimo sexcentesimo quin-*

libellum, qui inscribitur, *Le Catechisme de la Grace,* ideò damnat, quòd proscriptas à Romanis Pontificibus opiniones contineat. Posteriorem verò, non quòd malá doctrinam habeat, sed quòd sine licentia Sedis Apostolicæ, quæstionem aliam, in vtramque partē probabiliter disputatam attigerit. Atque hoc ipsum obseruare fuit in Bulla, qua Vrbanus VIII. Iansenii librum damnauit, & Louanienses Theses prohibuit.

quagesimo, Indictione 3. die verò 14. mensis Octobris, Pontificatus Sanctiss. in Christo Patris, & D.N.D. Innocentij diuinâ prouidentiâ Papæ X. anno eius septimo, supradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad valuas Basilicarum S. Ioannis Lateran. & S. Petri de Vrbe, necnon ad valuas Palatij sacræ Inquisitionis, & Cancellariæ Apost. ac in acie Campi Floræ, vt moris est, per me Hieronymum Mascellam eiusdem Sanctiss. D.N. Papæ, & Sanctiss. Inquisitionis Cursorem.



§. VI.

Carolus Herſant in fugam verſus, & ignauè latitans, ab Inquiſitione Romana, ad reſpondendum IN CAVSA FIDEI *citatur, quòd in publica concione Romæ habita, editáque, ac ſummo Pontifici per ſummam impudentiam dicata Ianſenianos errores docuiſſet.*

Eminentiſſimis, & Reuerendiſſimis DD. S. R. E. Cardinalibus in tota Rep. Chriſtiana contra hæreticam prauitatem Generalibus Inquiſitoribus à S. Sede Apoſtolica ſpecialiter deputatis.

CITETVR Carolus Herſant Presbyter ſæcularis ſacræ Theologiæ Profeſſor, ſi reperiri poterit; ſin minùs ad domum ſuæ ſolitæ habitationis, ſeu ad valuas Eccleſiæ Parochialis ſancti Laurentij in Lucina, ſancti Petri Principis Apoſtolorum,


Iansenismi dissemina-tio crimen est in causa Fidei.

& Palatij S. Officij, ad respondendum in causa fidei, & se expurgandum à criminibus, de quibus imputatur. Aliàs videndum contra ipsum ad pœnas à sacris Canonibus & Constitutionibus Apostolicis inflictas procedi ad contumaciam ad tertium diem ab executione præsentium computandum, nempe prima pro primo, secunda pro secundo, & tertia pro tertio, vltimo & peremptorio termino, & Canonica monitione: instante R. D. Petro Sarsia, Procuratore Fiscali S. Officij. Signatum, F. VINCENTIVS PETRVS A SENIVALLE, Commissarius Generalis sacri Officij. *Et infrà:* D. THOMASII, Notarius.

Affixum die 17. *Octobris* 1650.

Quid verò facias galeato illi lepori Carolo Hersento, qui in sua ad summum Pontificem epistola Thrasonica caput suum diris omnibus anathematúmque fulminibus ac tormentis deuouerat, paratúmque se ad propugnandam Ianseny Iprensis doctrinam tam audacter deprædicarat; cùm ecce tibi ad primam Appari-

torum vmbram ac ſtrepitum, ex leone tam citò mutatus in leporem, ſe dat in pedes, latebráſque quæritans ſudat, æſtuat, riget, totúſq; cohorreſcit. Hoc vno duntaxat cautus ac prudens, quòd in Galliam redire ſtatuerit, vt amico Antonio Arnaldo Doctori Ianſenianarum partium in aurem inſuſurret; meliùs ſe ſibi ſuiſq; rebus conſulturum fuiſſe, ſi eius exemplo (quamuis Regina iuberet, exprobrarent aduerſarij, ſuaderéntque nonnulli ex amicis) Romanum iter non ſuſcepiſſet: paratos eſſe Romæ ſtolidis Ianſenianorum dogmatum propugnatoribus ignes carceréſque, ſibi ſuique ſimilibus, queis vita Fide potior ſit, procul illinc citóque fugiendum. Adeò veriſſimum eſt ventoſæ linguæ fugaces pedes nunquam hactenus defuiſſe.





TRIVMPHVS CATHOLICÆ VERITATIS, ADVERSVS NOVATORES.

PARS TERTIA.

IANSENIVS DAMNATVS ab Archiepiſcopis & Epiſcopis.

§. I.

Illuſtriſſimus ac Reuerendiſſimus Archiepiſcopus Pariſienſis Bullam Vrbani VIII. propoſitiones Ianſeniÿ damnantem publicari iuſsit.

IOANNES FRANCISCVS DE GONDY Dei & ſanctæ Sedis Apoſtolicæ gratiâ Pariſienſis Archiepiſcopus, Om-

Omnibus personis Ecclesiasticis sæcularibus & Regularibus, atque etiam Laicis in Diœcesi nostra constitutis, Salutem in Domino. Ex quo tempore grauem & periculosam de diuinis Auxiliis summorum Pontificum Gregorij XIII. & Pij V. curâ contentionem extinctam à doctis nonnullis hominibus vehementiùs excitari & renouari dolentes vidimus, Pastoralis nostræ sollicitudinis esse duximus, tanto malo quantocyùs occurrere, ac efficere vt omnes, quibus Deus nos inuigilare pro sua benignitate voluit, solliciti essent seruare vnitatem Spiritus in vinculo pacis. Eo fine decretum edidimus die quarto Martij præsentis anni, quo districtè cauimus, ne in concionibus, quæ ad populum fiunt intra Diœcesis nostræ fines, vllus, cuiuscumque ordinis, qualitatis & conditionis esset, harum occasione controuersiarum in contraria sibi sentientes inueheretur; doctrinam, quam non probaret, hæresis aut erroris condemnaret; néve omninò in iisdem concionibus, sub quocumque præ-

D. Arch. Constitutionē Iansenii pp. damnantē ab Apostolica Sede prodiisse agnoscit, eique obtēperandum mandat.

textu, eas difficultates in contentionem disceptationémq; vocaret. Cùm verò acceperimus Constitutionem à sanctissimo Domino nostro Papa, quâ fidelium ille omnium Pater prædecessorum vestigiis inhærens, in hoc imminenti periculo discordiarum, Ecclesiæ paci consultum voluit; ex officij nostri ratione censuimus esse, eam vobis significare, vti tanquam ab ea Sede prodeuntem, excipiatis, vnde Apostolici Spiritus oracula referantur, illi, quâ decet reuerentiâ & animi demissione, obtemperetis, & qui sententiarum varietatis, quàm simplicis atque vnius veritatis cupidiores, inconsultiùs se, feruentiúsque gesserunt, ad vnam Catholicam doctrinam sectandam, Christianámque mansuetudinem ac tranquillitatem amplexandam, communis omnium Pastoris voce reuocentur. Ad huius itaque mentem ac voluntatem toto affectu accedentes; LIBRVM, cui titulus est AVGVSTINVS, sub nomine reuerendissimi Domini CORNELII IANSENII Iprensis olim Episcopi editum, PROPOSITIONES

Non ergo à Iesuitis conficta, vt mentiebãtur Iansenianí Louanienses & Parisienses.

A SVMMIS PONTIFICIBVS DAMNATAS CONTINENTEM, Theſes etiam à Patribus Societatis IESV Vniuerſitatis Louanienſis, occaſione huius libri editas, & quidquid tam contrà quàm pro eo libro & Theſibus iſtis impreſſum eſt, ordinariâ noſtrâ auctoritate prohibemus. Et ne quis, cuiuſcumque ſtatus, conditionis, gradus, ordinis ac dignitatis exiſtat, mandare, aut mandari curare typis vllum poſſit opus de diuinis Auxiliis abſque ſpeciali noſtra licentia ſub anathemate interdicimus. Renouantes prætereà noſtrum præcedens decretum ſub eadem excommunicationis pœna vetamus, ne vllus in Concionibus & Catechiſmis eas quæſtiones moueat, quæ contentiones eiuſmodi excitant, nec faciunt ad ædificationem. AC DENIQVE NE QVISPIAM AVSV TEMERARIO DAMNATAS IN EA CONSTITVTIONE PROPOSITIONES VLLO PACTO PROPVGNET. Datum Pariſiis die vndecimâ Decembris anno ſalutis milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo tertio. *De mandato illuſtriſſi-*

Ianſenii liber damnatas à sũmis Pontificibus propoſitiones continet.

An decretum hoc ſeruarint Burzæus, Lanæus, aliive Ianſeniani Pariſiis commorantes aliorũ eſto iudicium.

mi ac reuer. Domini Archiepiſcopi Pariſienſis. BAVDOVIN.

Nec minùs eluxit ſapientiſſimi Antiſtitis paſtoralis cura & ſollicitudo, cùm Ianſenianæ factionis Concionatorem totâ Lutetiâ famoſiſſimum, à viris grauiſſimis, qui concioni de ſancto Auguſtino aliiſque interfuerant, accuſatum, atque conuictum in ipſo Archiepiſcopalis Conſilij conuentu, non priùs ab interdicto ſoluiſſe voluit, tametſi plurimorum efflagitationibus pulſatus, quàm in Eccleſia Monialium Portus Regalis in Pariſienſi S. Iacobi ſuburbio ad recantandam coram frequenti audientium corona palinodiam, ſequenti datâ præſcriptáque formulâ adigeret. Quod & factum eſt, vidente atque audiente, qui porrexerat, illuſtriſſimo Archiepiſcopo, ipſis Kalend. Ianuariis ánni 1650. *Formulam verò palinodiæ ex ipſomet autographo deſcriptam, atque à viro nobiliſſimo Theologiæ, bonarum Artium, atque omnis ſanctioris obſeruantiæ callentiſſimo Profeſſore, qui cum reuerendiſſimo Antiſtite, eiúſque iuſſu ac ductu præſens interfuit, communicatam non pigebit hîc publici iuris*

facere ad perpetuam tam boni immò optimi facti memoriam.

RETRACTATION FAICTE par le sieur de Sainct-Guelin, Confesseur & Directeur du Monastere du Port-Royal, de quelques propositions par luy aduancées, en preschant audit Monastere le iour de S. Augustin, pour lesquelles il auoit esté interdit par Monseigneur l'Archeuesque de Paris; qui ne l'a voulu restablir, quelque instance que ceux du party luy en ayent faite, qu'à condition de se retracter en ces termes ou equiualens : ce qu'il a fait le premier iour de l'an 1650. au mesme lieu, en presence de Monseigneur l'Archeuesque.

IESVS-CHRIST la parole eternelle du Pere ayant gardé le silence pendant neuf mois dans le sein tres-pur de sa saincte Mere, commence auiourd'huy en sa Circoncision à faire entendre la voix de son sang, qui monte au trosne de Dieu, pour satisfaire à la iustice que le Pere eternel exige de luy.

Ie ſuis demeuré dans le ſilence depuis quelque temps, mais auiourd'huy, Monſeigneur, vous voulez me rendre la voix, & me faire parler pour annoncer les veritez Chreſtiennes, & donner éclairciſſement à mes paroles. Cette grace, Monſeigneur, que vous me faites, eſt la iuſtice que ie dois, de rendre compte de ma doctrine en preſence de celuy, qui eſt mon Maiſtre pour m'enſeigner, mon Archeueſque pour me commander, & mon Iuge pour m'abſoudre ou me condamner. I'obeys donc tres-volontiers à vne puiſſance ſi legitime, & ie taſcheray d'executer des commandemens ſi iuſtes.

1. Poinct d'accuſation.

On a eſtimé, Monſeigneur, qu'au iour de la feſte du grand S. Auguſtin (de qui ie deſire pouuoir imiter la profonde humilité, comme ie fais profeſſion d'admirer ſa haute doctrine) lors que pour recommander ſa perſeuerance en l'innocence baptiſmale, i'ay dit, que ſi ce grand Sainct euſt peché, aprés auoir receu le Bapteſme, il euſt eſté obligé de faire penitence, laquelle l'auroit rendu

incapable d'eſtre promeu au Sacerdoce, & à l'Epiſcopat : On s'eſt diſie perſuadé que i'ay voulu inſinuer des penitences publiques, pour obtenir la remiſſion de toute ſorte de pechez mortels, meſme des pechez ſecrets quels qu'ils fuſſent.

Ie proteſte n'auoir point vſé du mot de penitences publiques, & ie reconnois que la penitence ſecrete pour les pechez ſecrets eſt matiere ſuffiſante pour le Sacrement de Penitence. Ie ſçais auſſi que non ſeulement dans l'vſage preſent de l'Egliſe, mais encor dans les premiers ſiecles, la penitence publique n'a point eſté iugée neceſſaire abſolument pour les pechez. Retractation.

De plus, on a creu, que quand i'ay propoſé la difference de l'innocence, en laquelle Adam fut creé, & de la grace qui nous eſt donnée par les merites de Iesvs-Christ, depuis la cheute du premier pere, i'ay aduancé qu'Adam auoit la liberté de bien & de mal vſer de cette innocence, & d'ordonner des graces appartenantes à cet eſtat floriſſant; 2. Poinct de l'accuſation.

Mais qu'à present nous autres n'auons pas la liberté d'indifference à l'égard de la grace, en ſorte que nous puiſſions, ſi nous voulons, y conſentir, ou n'y pas conſentir, mais que nous y acquieſçons volontairement, entant que la grace ne nous contrainct, ny ne nous force pas d'y conſentir.

Ie ſeray tres-aiſe de faire ſçauoir, que la parole de Dieu, qui reproche en tant d'endroits de l'Eſcriture à la dureté de nos cœurs la reſiſtance aux inſpirations & mouuemens de la grace, qui les bat & les pouſſe, eſt trop expreſſe pour ne pas faire connoiſtre, que nous pouuons, ſi nous voulons, conſentir, ou ne pas conſentir à la grace.

Retracta-ction. L'honneur d'auoir eſté regeneré des eaux du Bapteſme, & d'auoir eſté engendré enfant de IESVS-CHRIST dans Paris, & l'obeiſſance particuliere que ie vous dois, Monſeigneur, par la promeſſe ſolemnelle que i'en ay faite au iour de mon ordination Sacerdotale, m'obligent à profeſſer plus particulierement auec

respect & reuerence, la doctrine tres-veritable que vous m'enseignez auec vos predecesseurs, qui tenans la mesme Chaire, que vous remplissez si dignement, ont determiné auec les autres Prelats leurs collegues, en plein Concile assemblé en cette ville de Paris, en l'an 1528. & appellé le Concile de Sens, Que le secours de la grace, dont il plaist à Dieu tirer les hommes, n'est point tel que l'on ne puisse y resister: *Nec denique tale sit huiusmodi trahentis Dei auxilium, cui resisti non possit.*

Il ne faut que ce Cócile pour faire le procez à Iansenius, & à tous ses partisans. Voyez-le cy-dessus imprimé.

Enfin ie declare hautement que ie suis enfant de l'Eglise, que i'escoute tres-volontiers par la misericorde de Dieu sa voix. I'embrasse, & reuere le sacré Concile de Trente, lequel, quoy qu'il ait esté tenu en ces derniers temps, a neantmoins receu les mesmes lumieres infaillibles du mesme Esprit de verité, qui a preserué d'erreurs les quatre premiers Conciles, que le grand Sainct Gregoire reuere comme les 4. Euangiles, qui ont esté, & seront à iamais venerables à toute l'Eglise. Et c'est

Quiconque receura auec sincerité de cœur le Concile de Trente, ne tombera iamais dãs l'heresie des Iansenistes, qu'il a cōdamnée auec celle de Luther & de Caluin.

encor ce S. Concile de Trente en la ſeſſion 6. chapitre 5. qui declare, que l'homme qui reçoit l'inſpiration du S. Eſprit, la peut reietter. Et auec le meſme ie dis anatheme à quiconque dira, que le franc-arbitre eſtant meu & excité de Dieu, ne coopere point en conſentant à Dieu, lequel l'excite, & l'appelle; & qu'il ne peut pas refuſer ſon conſentement, s'il veut. Anatheme, malediction à ceux qui tiennent tels diſcours.

Troiſieſme chef d'accuſation.

En aprés lors que i'ay parlé des triomphes de S. Auguſtin victorieux des Pelagiens, & de leurs reſtes les Semipelagiens, quand on a ouy le ſon des trompettes, qui reſonnoient les victoires de S. Auguſtin, l'on a pris leur ſon comme le ſignal du combat, & comme les marques des queſtions contentieuſes, que i'oſois remuer.

Retractation.

Ie ne puis deſnier que l'Egliſe, les Conciles, les Papes ont rendu des teſmoignages particuliers d'honneur à S. Auguſtin, pour les ſeruices qu'il a rendu à Dieu, & à l'Egliſe en la defenſe de la grace de IESVS-

CHRIST. Neantmoins ce n'a esté ny ma pensée, ny mon intention de troubler la paix, & de declarer la guerre, ny de diuiser les esprits parmy les acclamations, & applaudissemens d'honneur, que i'ay tasché de rendre à cét incomparable Docteur, dont Dieu s'est seruy pour l'vnité de son Eglise.

Ie ne veux, comme aussi ie ne dois pas imposer vne necessité aux esprits de reconnoistre vn autre iuge infaillible pour decider les controuerses de la Religion, que l'Eglise. Elle est la colomne & le firmament de la verité; c'est à elle que IESVS-CHRIST nous enuoye, disant, que qui ne l'honore, doit passer pour vn payen, & vn publicain. Ce sont ses lumieres, qui desillent nos yeux : il les faut suiure, & receuoir pour marcher en seureté hors des tenebres de l'erreur. De maniere que ce seroit indiscretion, aueuglement & temerité, de forcer les esprits à reconnoistre en terre vn autre iuge infaillible pour la decision des mysteres de la foy, & de la grace, que l'Eglise.

L'Eglise a parlé clairement par les Bulles & les Brefs de quatre Papes, pourquoy restent-ils donc encore des Bayẽs & des Iansenistes ?

Protesta-tion du Predicateur en suite de ses retractations.

C'est, Monseigneur, la croyance que i'ay dans le cœur, & la protestation que i'en fais hautement, sans aucun dessein ny desir de contention. Ie cherche la grace d'edifier, & ne pretends pas de disputer. Ie suis persuadé que la charité est la porte pour entrer dans les connoissances des veritez. Ie n'ay pas oublié ce que ie rapportay en ce iour du grand S. Augustin; *Non intratur in veritatem, nisi per caritatem*. I'abandonne ces questions, qui sont sans fin, & sans bornes. I'accepte, & embrasse de tout mon cœur cette ordonnance, par laquelle vous auec tant de sagesse, & de iustice, à l'exemple des souuerains Pontifes, auez defendu de traitter ces questions contentieuses, qui font du bruit, & n'apportent aucun fruit. Ie proteste vouloir y deferer, & y rendre vne obeyssance exacte, dont ie m'estime heureux de faire vne nouuelle & publique declaration en ce commencement de l'année, auec esperance que cette obeyssance me seruira à impetrer de Dieu les graces pour conceuoir à l'aduenir des di-

ſcours ſalutaires, & fructueux, à l'exemple de la ſaincte Vierge, qui conceut en ſon ſein le Verbe eternel, en ſuite de la parfaite obeyſſance qu'elle rendit, ayant entendu de l'Ange luy diſant, *Aue gratia plena.*

An verò Sanguelinus iſte deinceps promiſſis ſteterit, ſéque religiosè intra præſcriptos limites atque cancellos in concionibus, quas pluribus in locis habuit, continuerit, non vacat ſolertiùs indagare. Domino ſuo ſtat aut cadit, nec mihi tantum otij à libris negotiiſque meis. Certè id vnum dici certo certiùs poteſt Abbatem Burzæum epiſtolographum, nonnulloſque ipſius confarraneos ſæpiſſimè dictis ſcriptiſque AVSV TEMERARIO DAMNATAS IN CONSTITVTIONE VRBANI VIII. PROPOSITIONES PROPVGNASSE, *contemptâ penitùs atque inſuper habitâ illuſtriſſimi Antiſtitis prohibitione.*

---

§. II.

Epiſtola pluſquàm quadraginta Galliæ Antiſtitum ad ſummum Pontificem, pro condemnatione præcipuarum Janſenianæ ſectæ propoſitionum.

BEATISSIME PATER, Maiores cauſas ad Sedem Apoſtolicam referre ſolemnis Eccleſiæ mos eſt, quem fides Petri numquam deficiens perpetuò retineri pro iure ſuo poſtulat. Æquiſſimæ huic legi obſequentes de grauiſſimo circa Religionem negotio Sanctitati tuæ ſcribendum eſſe cenſuimus. Decennium eſt ex quo vehementiſſimis turbis Gallia magno noſtro mœrore commouetur, ob librum poſthumum & doctrinam Reuerend. Cornelij Ianſenij Iprenſis Epiſcopi. Tales quidem motus ſedari oportebat tùm Concilij Tridentini authoritate, tùm Bullæ illius, quâ Vrbanus VIII. felicis memoriæ aduerſus Ianſenij dogmata pro-

Vide ſuprà à pag. 1. ad 13 & paginam 58. cum ſeqq.

nunciauit, & decreta Pij V. ac Gregorij XIII. in Baium edita confirmauit. Atque huius quidem Bullæ veritatem ac robur nouo diplomate vindicaſti : ſed quia nulli ſigillatim propoſitioni certa cenſuræ nota inuſta fuit, locus etiamnum aliquis quorumdam cauillis & effugio relictus eſt. Intercludendum autem penitùs ſperamus, ſi, vt precamur, Sanctitas Tua, quid hac in re ſentiendum ſit, clarè diſtinctéque definiat. Obteſtamur ergo, vt has præſertim propoſitiones, de quibus diſceptatio periculoſior, ac contentio ardentior eſt, Sanctitas tua expendat, ac perſpicuam & certam de vnaquaque ſententiam ferat.

I. Aliqua Dei præcepta hominibus iuſtis volentibus & conantibus, ſecundum præſentes, quas habent vires, ſunt impoſſibilia : deeſt quoque iis gratia, quâ poſſibilia fiant. Ianſenii pp. 19. 20. 21. 22. &c.

II. Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur. Pp. à 33. ad 50.

III. Ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ, non requiritur in homine libertas à neceſſi- Pp. à 1. ad 18.

tate : ſed ſufficit libertas à coactione.

Ianſenii hiſtoria de hæreſi Pelagianorũ & Semipelagianorum.

IV. Semipelagiani admittebant præuenientis gratiæ interioris neceſſitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium fidei : & in hoc erant hæretici, quòd vellent eam gratiam talem eſſe, cui poſſet humana voluntas reſiſtere vel obtemperare.

Eiuſdem pp. à 59. ad 63.

V. Semipelagianum eſt dicere Chriſtum pro omnibus omninò hominibus mortuum eſſe, aut ſanguinem fudiſſe.

Experta eſt nuper Beatitudo tua, quantùm Apoſtolicæ Sedis in gemini Eccleſiæ capitis errore profligando valuerit auctoritas: continuò ſedata eſt tempeſtas, atque ad Chriſti vocem & imperium venti & mare obedierunt. Quamobrem flagitamus, Beatiſſime Pater, vt clarâ firmáque de propoſitionum iſtarum ſenſu prolatâ ſententiâ, cui etiam Reuerend. ipſe Ianſenius morti proximus, opus ſuum ſubiecit, caliginem omnem diſcutias, animos fluctuantes componas, diſſidia prohibeas, Eccleſiæ tranquillitatem ſplendorémq; reſtituas. Dum hæc ſpes mentibus

tibus noſtris affulget, Sanctitati Tuæ multos & proſperos annos, ſæculóque beatiſſimam æternitatem Rex ſeculorum immortalis adiiciat, optamus ac vouemus.

Subſcriptiones Antiſtitum, qui Catholicæ Fidei zelo accenſi, damnationem Ianſenianæ doctrinæ à ſummo Pontifice petierunt, placuit differre in aliud tempus, ne qui parati ſunt ſuffragium ſuum cæteris adiungere, doleant ſe à nobis fuiſſe prætermiſſos.



§. III.

Ex ſtatutis Synodalibus ab Illuſtriſſimo & Reuerendiſſimo Domino D. CLAVDIO D'ACHEII *Archiepiſcopo Biſontino editis & promulgatis die 26. Maij 1648.*

CAPVT III.

De Bulla Vrbani Papæ VIII. contra Ianſenij librum, cui titulus Auguſtinus, cum veneratione admittenda.

QVIA verò exigit à Nobis debita ſanctæ Sedi Apoſtolicæ obedientia, vt cum ea, quâ par eſt, ſedulitate & diligentia DOCTRINAS ab ea velut ceterarum Eccleſiarum matre DAMNATAS damnemus & nos, vel ſic maiorum veſtigiis inhærentes, quorum mentibus ab ipſis fidei incunabulis altè impreſſa verſus eamdem, nedum in maximis, quin & in minimis fuit reuerentia. Hinc emanatam à felicis recordationis Vrba-

no VIII. ſummo Pontifice Conſtitutionem, quæ incipit: *In eminenti Eccleſiæ.* Et quâ CORNELII IANSENII liber, cui titulus AVGVSTINVS, legi aut etiam à non legentibus ſeruari diſtrictè prohibetur, propter DAMNATAS in opere eiuſmodi OPINIONES: Apoſtolicis prædicti Vrbani Papæ VIII. quemadmodum & promulgatis à S.D. N. Innocentio Papa X. ea de re decretis, parere cupientes in omnibus, venerabundi admittimus; & vſque adeò ſtrictè ſeruari mandamus, vt in poſterum (quoad nobis placuerit) nullus omninò ad curam animarum admittatur, niſi qui poſt ſolemnem Concilij Tridentini Fidei profeſſionem, formulam hîc adiectam coram Vicario noſtro Generali attentè legerit & iurauerit.

Ianſenii Auguſtinus prohibetur propter damnatas in eo opiniones.

Ego N. profiteor me obedientem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, & S. D. N. Innocentio X. Pontifici Romano, eiúſque ſucceſſoribus, atque ideò me acceptaturum, prout de facto accepto debitâ ſubmiſſione Conſtitutionem felic. recordationis Vrbani VIII. editam anno decimo nono ſui Pontificatus, Incarnationis Dominicæ

1641. *pridie Nonas Martij, quæ incipit* In eminenti Ecclesiæ. *in qua prohibetur liber* CORNELII IANSENII, *cui titulus* AVGVSTINVS. *Quam Constitutionem ego integrè accepto, & cum ea in omnibus sentio & consentio, & promitto me (quantum in me fuerit) curaturum, vt præfatam Constitutionem omnes & singuli acceptent, & in omnibus cum eadem sentiant & consentiant. Ita spondeo, voueo, ac iuro. Ego idem N. sic me Deus adiuuet, & hæc sancta Dei Euangelia.*

Arnaldi & Sancyrani operum lectio prohibita in toto Burgundiæ Comitatu.

Prohibemus insuper lectionem piorum in speciem operum ANTONII ARNAVDI Sorbonici Doctoris *De frequenti Communione*. Et IOANNIS VERGER DE HAVRANNE Sancti Cyranni Abbatis, variorum opusculorum Auctoris: quorum quidem mense Octobri superioris anni, adiectâ pœnâ arbitrariâ, lectionem per Diœcesim nostram interdixeramus, &c.

§. IV.

Jllustrißimus ac Reuerendißimus D. Dominus Episcopus Suessionensis Ianſenij librum propoſitiones à ſummis Pontificibus damnatas continentem proſcripſit anno 1650.

SIMON Dei & ſanctæ Sedis Apoſtolicæ gratiâ Epiſcopus Sueſſionenſis, omnibus Eccleſiaſticis tam ſecularibus quàm Regularibus, atque etiam Laicis per Diœceſim noſtram diſperſis, ſalutem in Domino. Vbi primùm extinctam ſummorum Pont. Gregorij XIII. & Pij V. ſolicitudine contentionem DE DIVINIS AVXILIIS, quorumdam hominum neſcio quo nouitatis pruritu, & diſputationis ſtudio repullulaſcere & renouari animaduertimus; tum omni adhibitâ cautione prouidendum nobis eſſe duximus, ne hoc malum latiùs ſerperet, néve illius contagione ſolueretur vnitas ſpiritus & vin-

culum pacis, inter eos quibus nos Diuina misericordia præposuit: Eapropter toto animi affectu in ea quæ sunt muneris nostri incumbentes, iampridem prohibueramus, ne quid in materia tam graui & periculosa, siue inter concionandum siue inter legendum aut disputandum publicè proponeretur. Sed quoniam apud nonnullorum animos auctoritas nostra tantum, quantum debuit, non valuit, atque etiam ausu temerario datæ sunt in publicum theses palam discutiendæ, quæ ne agitarentur, ab iisdem summis Pontificibus pridem cautum fuerat, de ratione officij nostri esse censuimus, quantocyùs huic malo occurrere. Hac de causa, ne quis intra nostræ huius Diœcesis fines, cuiuscumque sit ordinis, gradus & conditionis, in sacris vel concionibus, vel catechesibus, vel lectionibus, siue disputationibus, aut etiam scriptis, motas his temporibus DE GRATIA & DIVINIS AVXILIIS quæstiones proponat & agitet, néve illarum captâ occasione, contraria suis dogmata

insectetur, vel in alios qui aliud à se sentiunt, vehementiùs inuehatur, aut eorum doctrinam vsurpatâ auctoritate & censurâ, erroris damnet aut hæreseos, sub anathemate prohibemus. Atque vt de illis constet, à quibus cauere vnumquemque volumus, Constitutionem à summo Pontifice Vrbano VIII. factam ab omnibus & singulis Diœcesis nostræ, eâ quâ decet reuerentiâ & animi demissione excipiendam, legendam & recolendam proponimus & significamus, atque adeò ad eiusdem summi Pontificis Vrbani affectum totis viribus accedentes, LIBRVM, QVI INSCRIBITVR, AVGVSTINVS, QVIQVE PRODIIT IN LVCEM, PRÆFIXO NOMINE REVERENDISSIMI DOMINI CORNELII IANSENII, IPRENSIS QVONDAM EPISCOPI, PROPOSITIONES A SVMMIS PONTIF. DAMNATAS CONTINENTEM PROSCRIBIMVS, mandamúsque omnibus Superioribus Communitatum tam secularium quàm Regularium, & quibuscumque aliis, vt dictum librum neque asseruent & retineant, neque à suis

Iansenii liber damnatas à summis Pontificibus pp. continet.

legi ſiue publicè, ſiue priuatim patiantur, ſub pœnis in prædicta Conſtitutione indictis. Vt autem quid ſimile in poſterum non contingat, ne quis theſes in Philoſophia, ſiue in Theologia publicè propugnandas ſuſcipiat, niſi priùs illas cenſuræ noſtræ aut Vicariorum noſtrorum Generalium ſubiecerit, ſub eadem pœna vetamus & interdicimus. Atque ne quis ignorantiam prætendat, præſens decretum à ſingulis Diœceſis noſtræ Parochis, & quarumcumque Communitatum Superioribus publicari, & primâ quaque Aduentus Dominicâ cuiuſcumque anni publicationem renouari, ſique opus fuerit, ad valuas affigi, vt illius notitia ad omnes perueniat, volumus, præcipimúſque. Datum Sueſſione, quartâ die Februarij, anno D. S. milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo.

SIMON EPISC. SVESSIONENSIS.

De mandato Reuerend. Domini D. Epiſcopi Sueſsionenſis. COVRTONNE.

§. V.
Promulgatur in Hispania Constitutio Vrbani VIII.

NOS *D. Diego de Arce-Reinoso, por la gratia di Dios, y de la sancta Sede Apostolica Obispo de Plasentia, Inquisidor General en todos los Reinos & Señorios de su Magestad, &c.* quæ cum sequentibus ad calcem Tomi 3. D. Ripaldæ de Ente supernaturali habentur. *Dada en Madrid à doze de Febrero* 1644.

Cum his non cohæret insulsa Doctoris Salmanticensis fabula à Iansenianis ficta ad minuendam Herbenti infamiam.

Promulgatur Antuerpiæ in Belgio.

GASPAR Dei & Apostolicæ Sedis gratiâ Episcopus Antuerpiensis, Vniuersis & singulis nostræ Diœcesis salutem in Domino. Cùm felic. record. Vrbanus Papa VIII. Pontifex Maximus, &c. Nos qui ab initio supradictam Bullam, quâ decuit reuerentiâ suscepimus, &c. Datum Antuerpiæ die 10. Maij 1646.

Promulgatur Namurci in Belgio.

ENGILBERTVS Dei & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Namurcensis,

Vniuersis, &c. Datum Namurci in Palatio nostro Episcopali sub sigillo nostro, & Secretarij nostri signaturâ die 21. mensis Aprilis anno 1646.

Nec plura de his modò proferemus in medium, iam diu enim ad se nos vocant Almæ Vniuersitates, PARISIENSIS, LOVANIENSIS, DVACENA.





TRIVMPHVS CATHOLICÆ VERITATIS, ADVERSVS NOVATORES.

PARS QVARTA.

IANSENIVS DAMNATVS AB VNIVERSITATIBVS.

§. I.

PARISIENSIS *Theologica Facultas cum Luthero eiusque discipulis damnauit Iansenium.*

SERVATVR in Archiuo Facultatis Theologiæ Scholæ Parisiensis, Primus Liber Registri in materia Fidei & morum, incipiens ab anno Do-

mini 1384. Indictione VIII. mensis Nouembris 7. die, Clementis VII. anno septimo: ex quo delibata sunt nonnulla ad Iansenij cum Luthero consensum omnibus patefaciendum adprimè necessaria.

Arresta Parisiensis Curiæ aduersus hæreticos.

Censura Facultatis lata die 15. Aprilis anno 1521. aduersus Lutherum, cuius meminit Arrestum supremæ Parisiensis Curiæ, inscripta habetur illi libro à fol. 172. ad folium 188.

In ea notantur hæ propositiones folio 179.

De Contritione, & iis quæ eam præcedunt.

Eadē mens Iansenii.

I. Lege manifestatâ, aut in memoriam reuocatâ, mox sequitur augmentum peccati, si gratia desit.

Hæc propositio loquendo de gratia gratum faciente est falsa, à recta sacræ Scripturæ intelligentia aliena, & à meditatione diuinæ Legis retractiua.

Pp. Iansenii 67. 68. 69. 97. 98. &c.

II. Lex ante charitatem non operatur nisi iram, & auget peccatum.

Hæc propositio est falsa, piarum aurium offensiua, in Deum & eius Legem blasphema, nec intentioni Pauli conformis.

Iansen. ex-

III. Opera quæcumque ante

charitatem sunt peccata & damnabilia, & indisponentia ad gratiam. dem similesque pp.

Hæc propositio est falsa, temerariè asserta, peccatorum ab emendatione retractiua, & sapiens hæresim.

IV. Qui bonum opus aut pœnitentiam à peccatorum detestatione ante dilectionem iustitiæ incipi, nec in eo peccari asserit, inter Pelagianos numerandus est. Ians. pp. 85. 86. 87. 89. 90. &c.

Hæc præpositio est falsa, & ignoranter asserta, capiendo dilectionem iustitiæ pro ea quæ charitatem seu gratiam gratum facientem sequitur.

V. Contritio quæ paratur per discussionem, &c. facit hypocritam, imò magis peccatorem. Accedunt quæ de attritione docuit Iansenius.

Hæc propositio est falsa, viæ ad pœnitentiam impeditiua, Scripturis sacris & doctrinæ Sanctorum difformis.

VI. Neque timore neque amore potest homo se erigere ad capescendam gratiam Dei. Adde Ians. pp. 77. 78. aliasque vsque ad 91.

Hæc propositio est in fide & moribus erronea, omnem præparationem ad pœnitentiam impiè auferens.

Mitto 8. 9. ac 10. eodem fermè recidentes, ne sim prolixior.

De Præceptis.

Pp. Ianſenii 20. 21. 22. 23. 27. &c.

I. Qui negat Deum nobis impoſſibile iuſſiſſe peſſimè facit, & qui hoc falſum dicit, pluſquam peſſimè facit, folio 183.

Hæc propoſitio eſt ſcandaloſa, impia, Legis Chriſtianæ infamatiua, ac auctore AVGVSTINO IN DEVM BLASPHEMA.

Ianſenii pp. 29. 30.

II. Sola duo vltima Decalogi præcepta ſunt, quæ à nullo quantumlibet ſancto aliquomodo implentur. Cætera omnia implent. Sed in his duobus manent rei & peccatores, quia nihil de illis implent.

Hæc propoſitio eſt erronea, impia, in legem & legiſlatorem blaſphema, & in ſanctos contumelioſa.

De Conciliis generalibus.

De Concilio Tridentino id reipſa docuerunt Ianſenius & Sancyranus, & verbo tenus repugnant eorum diſcipuli.

I. Via iam nobis facta eſt eneruandi auctoritatem Conciliorum & liberè contradicendi eorum geſtus ac iudicandi eorum decreta.

Hæc propoſitio, ſi velit Scriptor licitum eſſe cuipiam Conciliј legitimi auctoritati contradicere in iis, quæ fidem & mores concernunt, eſt ſchiſmatica & hæretica.

De libero Arbitrio.

I. Liberum arbitrium non est dominus actuum suorum. Ianſ. pp. à prima ad 20.

Hæc propositio est falsa, sacris Doctoribus ac omni doctrinæ morali aduersa, cum Manichæorum errore conueniens, ac hæretica.

II. Frustrà garriunt Sophistæ actum bonum esse totum à Deo, sed non totaliter. Pp. Ianſ. 49. 50.

Hæc propositio est sanctis Doctoribus eam ponentibus iniuria Ambrosio potissimùm, Augustino & Bernardo, quos hic Sophistas appellat, & quantum ad id quod prætendit actum bonum esse totaliter à Deo, & nullo modo à libero arbitrio est hæretica.

III. Liberum arbitrium cùm facit quod in se est, peccat mortaliter. Ianſ. pp. 71 72. 73. & à 92. ad 99.

Hæc propositio est scandalosa, impia, in fide & moribus erronea.

IV. Liberum arbitrium ante gratiam nihil valet nisi ad peccandum, non autem ad pœnitendum ex Augustino de Spiritu & litera. Eædē propositiones.

Hæc propositio accipiendo gratiam pro gratia gratum faciente, de qua loquitur Scriptor, est erronea, errori Manichæo-

rum conformis, à sacris eloquiis aliena, peruersè & truncatè ex Augustino allegata.

Vide iam citatas aliasq; Iansenii propositiones.

V. Liberum arbitrium sine gratia tanto magis appropinquat iniquitati, quanto fortiùs intenderit actioni ex Ambrosio.

Hæc propositio accipiendo gratiam vt priùs, est falsa, piarum aurium offensiua, à bonis operibus retrahens, iniquè & mutilatè ex Ambrosio excerpta.

De Philosophia & Theologia Scholastica.

Quæ fuerit sententia Iansenii Irensis de Philosophia Aristotelica ac doctrina Theologorum Scholasticorum, disces ex pp. 117. & seqq. vsque ad postremam.

I. Philosophia Aristotelis de virtute morali, de obiecto, de actu elicito talis est, quæ nec in populo doceri possit, nec est ad Scripturæ intelligentiam vtilis, quia continet duntaxat portenta verborum, non nisi ad contentiones verborum conficta.

Hæc propositio quantum ad omnes partes loquendo de Philosophia Aristotelis in his maxime, in quibus à Fide non discedit, est falsa, & tanquam ab inimico scientiæ arroganter ac insipienter asserta.

Ianſ. pp. 71. 72. & similes passim.

II. Omnes virtutes morales & scientiæ speculatiuæ non sunt veræ virtu-

virtutes & scientiæ, sed peccata & errores.

Hæc propositio quantum ad primam partem est eodem modo qualificanda, sicut priùs illa qualificata fuit, opera quæcumque ante charitatem sunt peccata. Quantum autem ad alteram, quòd scilicet scientiæ speculatiuæ sunt errores, est manifestè falsa.

III. Theologia Scholastica est falsa Scripturæ & Sacramentorum intelligentia, exulem nobis fecit veram & sinceram Theologiam.

Hæc propositio est falsa, temerarie & superbe asserta, ac sacræ doctrinæ inimica.

V. Quo tempore cœpit Theologia Scholastica, id est, illusoria, eodem euacuata est Theologia Crucis, suntque omnia planè peruersa.

Eadē Iansenii Lutherum æmulantis verba libro 6. cap. 33.

Hæc propositio est falsa, præsumptuose & irrationabiliter asserta, & errori Bohemorum damnato vicina.

VI. Libidinem corrumpendæ Scripturæ iam fermè trecentis annis patitur Ecclesia incomparabili damno suo à Doctoribus Scholasticis.

Videsis specimen Sathanicæ præfidentiæ in fine propositionum Iansenii.

Hæc propositio est falsa, stulte & malitiosè asserta.

VII. Theologi Scholastici Aristotelis moralia prorsus conuenire mentiti sunt cum Christi Paulique doctrina.

Hac propositione impudenter & falsò Theologis Scholasticis imponit Scriptor, quod non est verum, quanquam satis exploratum sit, in multis moralia Aristotelis cum Christi Paulique doctrina consentire.

Integrum porrò decretum illud editum habetur Tomo secundo Operum Martini Lutheri Editionis Witebergensis anni 1562. paginâ 185. & sequentibus, iuxta exemplar à Iodoco Badio Ascensio iurato Vniuersitatis Parisiensis Librario excusum, ne Lectorem ad cognitum paucis Sorbonicum Chartophylacium amandasse tantummodò videar. Sequitur verò in eadem Editione: Aduersus furiosum Parisiensium Theologastrorum Decretum Philippi Melancthonis pro Luthero Apologia. Tum ludus Lutheri à stolida & sacrilega Sorbona damnati, siue determinatio secunda Almæ Facultatis Theologiæ Parisiensis super Apologiam Philippi Melancthonis pro Luthero scriptam. Quibus spurcissimis licet insanorum ho-

Ex eadem officina prodierunt, eodemque maledicentiæ felle perfusi sunt libelli tenebrionum Iansenistarum aduersus DD. Pereyret & le Moyne, PP. Sirmondum, Petauium, Petrum à sancto Ioseph, aliosque orthodoxos.

minum molitionibus, ſcio, ſubſcripſerint potiùs Ianſenianæ conſpirationis Principes, quàm Sorbonicis Lutheri, Caluini, Baÿ, Ianſeniique confixionibus, ac cenſuris. Verùm hæc obiter, ad Regiſtrum Vniuerſitatis reuertamur.

Folio eiuſdem Regiſtri 197. ſacra Facultas in Libello ſuo ſupplici oblato Iudicibus ſupremæ Curiæ Pariſienſis meminit Arreſti, quo vetabantur libri Lutheri, necnon alterius Decreti, quo ſtatuebatur, vt libri recognoſcerentur à cœtu Theologorum: Tertij quoque Arreſti, quo libri cuiuſdam nobilis dicti de Berguin miſſi erant ad Facultatem, vt pro ſuo munere de iis ſententiam ferret; cenſétque eos eſſe prohibendos, cauendúmque ne venenum eius more cancri ſerpat, periculúmque eſſe in mora. Supremæ Pariſienſis Curiæ aduerſus hæreticorum libros atq; errores cũ Facultate Theologiæ Pariſienſis conſenſus.

Folio 200. legitur Arreſtum ſupremæ Curiæ Pariſienſis datum 5. die Auguſti anni 1523. quo nobilis ille dictus de Berguin redditus fuit Epiſcopo Pariſienſi, vt coram Senatoribus duobus atque Doctoribus ſententia in eum feratur.

Eodem folio Arreſtum die 12. Auguſti anni 1523. pronuntiatum videre quiuis poteſt, quo cognitâ Facultatis Theologiæ Pariſ. determinatione circa libros Lutheri habitâ, decretum eſt, vt iidem libri Lutheri in propylæo Baſilicæ B. Mariæ Virginis publicè comburerentur, & pœna exilij ac confiſcationis ſtatuta in eos, qui huiuſmodi libros apud ſe retinerent.

Quindecim dies tantùm præſcripti ad examen & iudicium de libris Melanchthonis.

Folio 201. habetur Arreſtum Parlamenti, vrgente Procuratore Regio, quo prohibitæ ſunt Melanchthonis lucubrationes, & Epiſcopo Pariſienſi demandata cura, vt præmiſſo intra quindecim dies cum Doctoribus examine ac iudicio certior de iis fieret Senatus.

Sequenti folio inſcripta eſt cenſura in Melanchthonem facta ad petitionem Epiſcopi apud Sorbonam Octobris die 6. anni 1523. quâ iudicat Sacra Facultas libros eius exurendos, atque vt planum fiat omnibus, cur libros illos igni addicendos cenſuerit; ſelectas aliquot propoſitiones profert hoc titulo: Sequuntur quædam paucæ propoſitiones manife-

ſtè ſcandaloſæ, ac impiæ, necnon hæreticæ & ſchiſmaticæ ex prædictis libris decerptæ, inter quas vndecima habetur folio 204. ex libro Commentariorum in Epiſtolam Pauli ad Romanos vnam, & ad Corinthios duas: LEX DEI IMPOSSIBILIA IMPERAT.

Eamdem hæreſim Ianſenius docuit pp. 20. 21. 27. & à 92. ad 99.

Viderint verò iuniores quidam Theologi an ſacræ Facultatis Pariſienſis legitimi filij ſint, aut potiùs Lutheri ac Melancthonis infelices partus, quibus placet hæc doctrina, quæ in 1. Theſi è ſelectis ad examen ac cenſuram aliquot propoſitionibus apertè exhibetur: ALIQVA DEI PRÆCEPTA hominibus iuſtis volentibus & conantibus ſecundum præſentes, quas habent vires, SVNT IMPOSSIBILIA: deeſt quoque iis gratia, quâ poſſibilia fiant. *Et quid ſuper ea re ab æquiſſimo Senatu ſperare & expectare debeant Catholicarum partium Doctores vigilantiſſimi aduerſus antiquarum hæreſeon interpolatores impudentiſſimos.*

§. II.

Eadem ſacræ Theologiæ Facultas Pariſienſis damnauit cum Michaele Baio Ianſenium anno 1560. hac cenſurâ, quam ex Chartophylacio Sorbonico ad verbum exſcriptam protulit, & ſummo omnium Catholicorum fauore ac Janſenianorum ignominiâ vindicauit ANTONIVS RICHARDVS THEOLOGVS *de Religione Chriſtiana optimè meritus libro, qui inſcribitur:* Defenſio Cenſuræ ſacræ Facultatis Theologiæ Pariſ. latæ 27. Iunij anni 1560. ſeu Diſputatio Theologica de libero Arbitrio, qua plures noui dogmatis propoſitiones ab illa Cenſura meritò proſcribi, & S. Auguſtini, aliorum Patrum, ac veterum

Theologorum doctrinæ aduersari demonstratur.

ANNO Domini millesimo quingentesimo sexagesimo, die Iouis, vicesimâ septimâ mensis Iunij, Sacratissima Theologiæ Facultas Parisiensis, post Missam apud Collegium Sorbonæ ex more celebratam, in eodem Collegio, per iuramentum congregata est in materia fidei, super propositionibus infrà scriptis, per eandem Facultatem cum matura deliberatione Magistrorum nostrorum censura notatis, quas Fr. Petrus de Quercu Guardianus Conuentus Niuellensis, & Fr. Ægidius de Querceto Guardianus Athiensis, prædictæ Facultati Theologiæ miserunt, sigillis prædictorum Conuentuum signatas; rogantes obnixè, vt super iis dicta Facultas censuram ferret. Quarum propositionum tenor sequitur, cum censura ad easdem.

I. PROPOSITIO.

Liberum arbitrium hominis non habet potestatem ad opposita, nec

Iansenii Propositiones à 1. ad 19.

illi conuenit ea poteſtas ex ipſius naturali, & intrinſeca ratione.

CENSVRA.

Prima pars huius propoſitionis eſt HÆRETICA, *ſecunda eſt falſa, & erronea, & morali Philoſophiæ aduerſa.*

II. PROPOSITIO.

Eædem Iãſenii propoſitiones.

Libertas, & neceſſitas eidem conueniunt reſpectu eiuſdem: & ſola violentia repugnat libertati naturali hominis.

CENSVRA.

Huius propoſitionis prima pars includit contradictionem, & eſt HÆRETICA: *ſecunda eſt falſa.*

III. PROPOSITIO.

Vide eaſdẽ pp.

Liberum arbitrium ex ſua ratione intrinſeca non habet, vt ex ſe, de ſe, & per ſe efficiat actum liberum.

CENSVRA.

Hæc propoſitio eſt falſa, erronea, & pernicioſa.

IV. PROPOSITIO.

Ianſenii pp. à 64. ad 74.

Liberum arbitrium ex ſe non poteſt, niſi peccare: & omne opus liberi arbitrij ſibi dimiſſi, eſt peccatum mortale, aut veniale.

CENSVRA.

Hæc propositio pro vtraque parte est HÆRETICA.

V. PROPOSITIO.

Homo faciendo quod in se est, peccat: & non potest non peccare faciendo quod in se est. Eædem pp.

CENSVRA.

Tota hæc propositio est HÆRETICA.

VI. PROPOSITIO.

Posse peccare non est de ratione liberi arbitrij hominis; nec eiusmodi potentia peccandi, homini data est à Deo.

CENSVRA.

Huius propositionis prima pars est falsa: & secunda hæretica.

VII. PROPOSITIO.

Liberum arbitrium hominis non potest absque speciali gratia Dei vitare peccatum; vnde fit, vt omne opus hominis purè infidelis, sit peccatum. Eædem pp. maxime 72 & 73.

CENSVRA.

Huius propositionis secunda pars est falsa, & male ex præcedenti infertur.

VIII. PROPOSITIO.

Liberum arbitrium liberè vult quidquid sponte sua voluntariè vult: Pp. Iansen. 1. 2. 3. &c.

ita vt quod necessariò vult, idem liberè velit.

CENSVRA.

Huius propositionis secunda pars implicat contradictionem, & est HÆRETICA.

IX. PROPOSITIO.

Hæreticus, schismaticus, & homo non purè infidelis, meretur quandoque de condigno vitam æternam.

CENSVRA.

Hæc propositio est plane hæretica.

X. PROPOSITIO.

Homo existens in peccato mortali, siue eius reatu ad æternam mortem, habet in se charitatem.

CENSVRA.

Hæc propositio est hæretica.

XI. PROPOSITIO.

Per contritionem, non adhibito realiter sacramento Baptismi, vel Pœnitentiæ, non dimittitur crimen extra casum martyrij, & necessitatis.

CENSVRA.

Hæc propositio est hæretica.

XII. PROPOSITIO.

Peccator si faciat quod mandatur per contritionem, & confessionem

factam sacerdoti, non remittitur illi peccatum, nisi sacerdos absoluat, etiamsi per malitiam absque ratione sacerdos illi neget absolutionem.

CENSVRA.

Hæc propositio est hæretica.

XIII. PROPOSITIO.

Non nisi Pelagiano errore admitti potest ante primam iustificationem in homine, liberi arbitrij vsus bonus: & qui se præparat ad eam, peccat, vt is, qui pessimè abutitur suis bonis naturalibus. Nam ante eam omnia opera hominis sunt peccata damnatione digna.

Iansenii pp. à 64. ad 74. & passim alibi.

CENSVRA.

Hæc propositio pro omnibus partibus est hæretica.

XIV. PROPOSITIO.

Non datur gratia nisi reluctanti, perinde nec prima iustificatio; quæ iustificatio est ipsa fides: fides enim est, quâ ex impio quis fit pius.

CENSVRA.

Huius propositionis duæ primæ partes sunt hæreticæ, & tertia est falsa.

XV. PROPOSITIO.

Homo necessariò peccat etiam dam- Pp. 12. 13.

14.15.16. 17.18.19. 20.&c. nabiliter, in aliqua ſpecie peccati: & actus, ad quem neceſſariò fertur, eſt illi peccatum: quare vt liberè feratur in actum, non eſt conditio neceſſaria ad peccandum.

CENSVRA.

Hæc propoſitio eſt HÆRETICA *pro omnibus partibus.*

XVI. PROPOSITIO.

Vide pp. Ianſenii 123.124.125. Nemo præter Chriſtum eſt abſque peccato originali: hinc Beata Virgo mortua eſt propter peccatum, quod contraxerat ex Adam: omnéſque eius afflictiones in hac vita, ſicut & aliorum iuſtorum, ſunt vltiones peccati originalis, vel actualis. Vnde & Iob paſſus eſt, & Martyres propter peccata ſua.

CENSVRA.

Hæc propoſitio pro omnibus partibus eſt hæretica, & Beatæ Mariæ Virgini Dei genitrici, ac Sanctis iniurioſa.

XVII. PROPOSITIO.

Omnia in gloriam Dei facite: &, dico vobis non reſiſtere malo: ſunt ſimpliciter vt præcepta accipienda.

CENSVRA.


Huius propositionis posterior pars, vt iacet, est hæretica.

XVIII. PROPOSITIO.

Omne opus bonum est meritorium vitæ æternæ. quòd si aliquod remuneretur temporaliter tantùm, non dignum vitâ æternâ, illud malum est, quia nullum est opus meritorium, nisi æternæ vitæ.

CENSVRA.

Hæc tota propositio repugnat sacræ Scripturæ.



§. III.

Eadem ſacra Facultas Pariſienſis prohibuit anno 1644. ſuſtineri propoſitiones per Bullas Pij V. Gregorij XIII. & Vrbani VIII. ſummorum Pontificum damnatas, quarum aliquas docet renouari in libro Janſenij, qui inſcribitur AVGVSTINVS.

ANNO Domini milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo quarto, die decima quinta Ianuarij, Sacra Theologiæ Facultas Pariſienſis, poſt ſacrum pro Fidelibus defunctis celebratum, extraordinaria habuit Comitia in aula Collegij Sorbonæ, in quibus Honorandus Magiſter Noſter Iacobus Pereyret Regiæ Nauarræ ſummus Moderator retulit; ſe iuxta ordinationem eiuſdem Facultatis conuocaſſe Honorandos Magiſtros Noſtros Breard, Charton, de Le-

ſtocq, Hallier, Cornet, Coqueret, & Nicolay, cum Domino Ant. de Breda Syndico in abſentia Domini de Mincé, die duodecima huius menſis, vt viderent quid agendum eſſet in negotio Bullæ S. D. N. Vrbani VIII. Pontificis Maximi, à Rege Chriſtianiſſimo, cum littera parui ſigilli miſſæ, & per Auditorem Eminentiſſimi Card. Grimaldi Nuntij Apoſtolici, die ſecunda dicti menſis allatæ: réque diligenter examinata, & ponderata, cenſuiſſe referendum eſſe in Acta publica, quid geſtum eſſet in ea Deputatorum Congregatione, in qua quidem allatum fuerat Decretum Illuſtriſſimi & Reuerendiſſimi D. Archiepiſcopi Pariſienſis, die vndecima Decembris præteriti, cum eiuſdem Mandato, die decima huius menſis, & anni, in præconiis Parochiarum publicato: quo attentè lecto, & conſiderato, cum prædictis littera, & exemplari Bullæ prædictæ, diei ſextæ Martij 1641. publicatæ Romæ decima nona Iunij 1643. à prædicto Eminentiſſimo Cardinali Grimaldo obſignato, & ſigil-

lato die ſecunda Ianuarij 1644. concluſiſſe, in tabulas Facultatis referendas omnes propoſitiones relatas in dicta Bulla, QVARVM ALIQVÆ RENOVANTVR IN LIBRO ILLVSTRISSIMI, ET REVERENDISSIMI D. CORNELII IANSENII IPRENSIS EPISCOPI, QVI INSCRIBITVR AVGVSTINVS, prohibendúmque Baccalaureis, Licentiatis, & ſtudentibus, ne eas proponant in Theſibus, & diſputationibus, iíſque iniungendum, ſicut & Sapientiſſimis Magiſtris Noſtris, & Vigilantiſſimo Domino Syndico, ne eas probent in reſponſis, Theſibus, libris, concionibus, aut lectionibus, ſub pœna priuationis, donec ab Eccleſia, aut S. Sede Apoſtolica aliter fuerit declaratum. Qua relatione audita, cenſuit Facultas negotium illud eſſe differendum. PROHIBVIT TAMEN TAM DOCTORIBVS, QVAM BACCALAVREIS, NE PROBENT, VEL SVSTINEANT, PRÆDICTAS PROPOSITIONES, PER BVLLAS PII V. GREGORII XIII. ET VRBANI VIII. SVMMORVM PONT. PROHIBITAS.

§. IV.

§. IV.

Responsum Eminentissimi Cardinalis HIERONYMI GRIMALDI *Nuntij Apostolici in Gallia, ad DD. Doctores Parisienses.*

CVM allata fuisset hæc Bulla ad sacram Theologiæ Facultatem ab Reuer. Abbate Lutumerio ex parte Eminentissimi Cardinalis Nuntij Grimaldi consensu etiam ac iussu REGIS interueniente, eâ lectâ, & maturâ deliberatione habitâ, censuit Facultas: QVOAD DOCTRINAM plenè recipiendam esse summa cum veneratione, & PROHIBENDVM esse omnibus ac singulis DOCTORIBVS ac BACCALAVREIS, ne VLLAM EX PROPOSITIONIBVS IN EA BVLLA NOTATIS AC PROHIBITIS sustinere ac defendere audeant. Quoad alias verò difficultates Bullæ procrastinandum esse, donec mens Summi Pontificis quoad prohibitionem di-

Propositiones in Bulla Vrbani damnatæ à Facultate Parisiensi prohibitæ.

K

ſputationum de Gratia, & quoad cenſuras pleniùs intelligatur.

Quo ſenſu intelligendæ prohibitiones & cenſuræ in Bulla expreſſæ.

Adierunt itaque plurimi Doctores Eminentiſſimum Cardinalem Nuntium, cúmque de iis difficultatibus prohibitionum & cenſurarum conſuluerunt, qui reſpondit ipſis, EAS INTELLIGI QVOAD PROPOSITIONES DAMNATAS TANTVM MINIME DOCENDAS AC SVSTINENDAS.

Ita ab eo acceperunt D. CHARTON Pœnitentiarius Eccleſiæ Pariſienſis, D. HALLIERIVS Regius Profeſſor Theologiæ, D. HABERT Canonicus ac Theologus Eccleſiæ Pariſienſis, D. DVVAL Regius Profeſſor Theologiæ, & complures alij. Quod inculcare voluimus, ne quid ſcrupuli veram ac ſalubrem de Gratia THEOLOGIÆ ANTIQVÆ DOCTRINAM profitentibus ac docentibus emergeret aut hæreret. *Ex pag. 39. Appendicis ad defenſionem Fidei Eccleſiæ aduerſus Ianſenianos accepimus.*

Accedat his quoque responsio Eminentissimi Cardinalis Ioannis de Lugo, quam consultus à Louaniensibus Professoribus, vt habet Ripalda Tomo III. *de Ente supernaturali paginâ* 591. *Editionis Coloniensis, rescripsit in hæc verba.*

TRES clausulas inuenio in Bulla nouissima Vrbani VIII. quæ explicatione indigent. Prima est in Bulla Pij V. pag. 6. in principio: ibi, *Déque iisdem & similibus posthac quoquomodo loquendi, scribendi & disputandi facultatem quibuscumque interdicimus.*

Secunda est folio 4. pag. 2. in fine in Decreto Vrbani VIII. ante triennium facto in illis verbis: *ne imposterum.*

Tertia denique est in folio vltimo pag. 1. in principio, ibi: *ne quis.*

Hæc tertia clausula nihil aliud continet nisi quod continebat prima clausula relata ex Bulla Pij V. quare quidquid licebat nobis loqui aut scribere contra Baium eiúsque doctrinam, licet nobis nunc: cùm eadem sint vtriusque clausulæ verba.

Vrbanus VIII. prohibuit scribere, loqui & disputare in fauorem doctrinæ Iansenii.

Quod enim addit Vrbanus: *aliisque, vt infrà, subinsertis articulis*, &c. refertur ad quatuor opuscula infrà referenda, quæ nouissimè prodierunt in fauorem Iansenij, de quibus, & de cæteris in libro Iansenij, prohibet scribere, loqui & disputare, scilicet IN FAVOREM istius DOCTRINÆ: sic enim similia verba Pij V. contra doctrinam Baij intellecta semper fuerunt, & vsu ab omnibus recepta.

Idem prohibuit tantûm ne disputationẽ de concordia gratiæ & liberi arbitrii agitatam inter Dominicanos & Iesuitas, quis renouet occasione impugnandi Iansenium.

Secunda verò clausula ex Decreto Vrbani relata solùm prohibet, ne occasione impugnandi Iansenium, vel aliâ occasione imprimatur DE AVXILIIS, seu DE CONCORDIA GRATIÆ ET LIBERI ARBITRII sine licentia Pontificis, vt constat ex eius verbis.

Vnde infertur non minùs quàm anteà licere nobis Baij sententias impugnare, propugnare etiam & citare Bullam Pij V. & GREGORII XIII. EXIGERE IVRAMENTVM, SOLITVM *in Vniuersitate Louaniensi*, A PROMOVENDIS AD DOCTORATVM, NON REVOCANDI SENTENTIAS BAII DAMNATAS; dicere etiam in Con-

CIONIBVS; homines peccare reiiciendo gratiam Dei quando debebant cooperari ad ſeruanda præcepta, probare libertatem arbitrij contra Lutherum & Caluinum (abſtinendo tamen à quæſtione tractanda de Concordia gratiæ efficacis cum libertate) dicere DEVM dare GRATIAM SVFFICIENTEM reprobis, nos poſſe reſiſtere gratiæ, nos cooperari gratiæ, non omne VOLVNTARIVM eſſe LIBERVM, nec hominem peccare in iis quæ NECESSARIÒ facit, & hæc DAMNATA eſſe in Baio. Poteſt etiam in rigore dici damnata eſſe in Ianſenio, ſicut poſt Bullam Pij V. habentem eadem verba dicebamus damnata eſſe in Baio: & quidem in colloquiis priuatis paſſim nunc dicimus DAMNATAM NVNC ESSE DOCTRINAM IANSENII: in ſcriptis tamen & libris ego abſtinerem modeſtiæ cauſa, & ad euitandos rumores à nomine Ianſenij, ſed ſolùm dicerem renouatam eſſe ab Vrbano condemnationem doctrinæ Baij, propter aliquos, qui de ea damnatione dubitabant. Sic cum mo-

Nullus dubitare potest de damnatione Iansenianæ doctrinæ.

destia obtinetur finis. Et quidem SEDES APOSTOLICA satis clarè reprobauit, & DAMNAVIT DOCTRINAM ILLAM, NEC DE HOC POTERIT VLLVS AMPLIVS DVBITARE.

Quod verò addidit Eminentissimus Cardinalis ad vitandos rumores, si ea de re libros ederet, fore vt abstineret à nomine Iansenij, id in gratiam Italiæ Hispaniæque videtur asseruisse, vbi nemo ampliùs dubitare potest de clarissima & apertissima reprobatione & damnatione doctrinæ Cornelij Iansenij; vbi nullæ propter Iansenianos errores turbæ, nulla dissidia; vbi nulli Iansenianarum partium pestiferi Doctores, aut, si qui reperiuntur, continuò compinguntur in carceres, aut ad triremes damnantur. At verò in Gallia Belgioque, si præsens adesset, non censeret omnino abstinendum, vbi laruati Caluinistæ sub prætextu promouendæ Augustini doctrinæ passim volitant Iansenium buccis follicantibus concrepantes, vbi mulierculæ in circulis cum penso & lana Iansenij apologiam tractant, vbi combibones in popinis inter pocula de auxilio quo & sine quo aduersus gratiam sufficientem & redemptionem Christi pro

omnibus impune blaſphemant; vbi pueruli in ſcholarum quarumdam abditis gurguſtiis inter primaGrammaticæ rudimenta Catechiſmum gratiæ ediſcunt & hæreſim à teneris ebibunt: vbi Typographi qua furtim, qua palam ac publice Ianſenij Pſeudo-Auguſtinum, pro Ianſenio apologias infames, Abbatis ad Epiſcopum, ad Abbatem, ad Præſidem aduerſus Concilij Tridentini doctrinam Epiſtolas, Goteſcalci & Prædeſtinatianorum Hæreticorum defenſionem, famoſos libellos & virulentas inuectiuas aduerſus Doctores Vniuerſitatis celeberrimos DD. Pereyret, le Moyne, Morel, Cornet, alioſque, etiam ſacris infulis inſignes, aduerſus RR. PP. Sirmondum, Petauium, Petrum à ſancto Ioſeph, Adamum, Ripaldum, & ſimiles doctrinâ, pietate, ac Catholicæ fidei zelo præſtantes viros, perditâ fide ſcriptas Auguſtini, Proſperi, Bernardi aliorúmque Patrum verſiones, ſimiliáque hæreſeon veneno fœta, infectáque Ianſenianorum opera, excudunt in dies fermè ſingulos, grandi ære redempta ab Auctoribus, & in omnes regni prouincias diſperſa & diſſeminata in certam Catholicæ veritatis per-

niciem; vbi vetulus Doctor vitilitigator egregius, adiuncto sibi Curione subadiuuâ, suspectis inamabilis Bolbitensis & Tribuni Monetalis, aliorúmque Ianseniſtarum libris approbationem non denegat, patitúrque, contemptâ Regij Magiſtratus auctoritate, publicari; vbi Caleni, Fromondi, Arnaldi, Magiſtri, pluréſque alij, quos ſeparatus Catalogus deteget, ab erudito Facultatis Theologiæ Doctore prope diem vulgandus, Ianſenianam doctrinam ſectantur, laudant, deprædicant; vbi Doctor in Scholis Theologicis vnus, in Philoſophicis Profeſſores aliquot damnatas à Pontificibus ſententias tuentur & docent; vbi Baccalaurei ac Licentiati cæteris proteruiores, renitente nequicquam Syndico, ac bonis omnibus gementibus, proſcriptas opiniones propugnant, Bullas Pontificum derident, Concilium Tridentinum conculcant; vbi denique Parochi nonnulli ex ambone, in congreſſibus priuatis publicíſque, in Confeſſionum exedris, domi foríſque, Ianſeniſmum inſtillant, &c. quæ vulgare calamus horret ac refugit.

§. V.

Epiſtola quorumdam REFRACTARIORVM, *ac* CONTVMACIVM LOVANIENSIVM *ad Academicos Pariſienſes circa Bullam Papæ Vrbani VIII.*

MAGNIFICE AC PERILLVSTRIS DOMINE, EXIMII ET CLARISSIMI VIRI. Non ſine magna admiratione, & animi noſtri dolore ex litteris quorumdam apud nos virorum Religioſorum nuper audiuimus BVLLAM à THEOLOGIS SOCIETATIS aduerſus Reuerendiſſimum Dominum Epiſcopum Iprenſem ROMÆ EXTORTAM, & tot nominibus SVBREPTITIÆ ET DOLOSÆ IMPETRATIONIS SVSPECTAM non ſolùm vos recepiſſe, ſed etiam ad DAMNATIONEM quorumdam Articulorum, qui in Auguſtino illius Reuerendiſſimi explicantur, inclinare, aut iam DAMNAVISSE. Quod tamen poſtremum, vbi ingenium, ſolertiam, do-

Ex hac aduerſus Ieſuitas calumnia cõficta à perfrictæ frontis hominibus diſce, Lector Catholice, quid de ceteris ex Iãſeniſtico Portu emergentibus iudicare debeas, ac nominatim de Ieſuita Doctore Salmanticenſi, quam typis etiam per ſummã impudentiam publicarunt.

ctrinam, prudentiam tot illustrium virorum, ex quibus Academiæ vestræ cœtus componitur, cogitamus, credere nondum possumus. Ergóne post tot veterum temporum pugnas & victorias sacrosancta sancti Augustini doctrina tandem victa succumbet, & quæ assultu deiici non potuit, iam suffodietur cuniculis? Non sinat Deus, perillustres & eximij Domini, vt sic dissipetur hæreditas Verbi Incarnati, & patrimonium Crucifixi. Certè Nos hîc [Louanij] nequidem Bullam illam recepimus, & Concilia Regia, sanctius, & Brabantiæ, cum excellentissimo Domino Gubernatore totum hoc Bullarum negotium in suspenso habendum esse decreuerunt, donec Sanctitas sua aliter & meliùs de eo sit informata. Omnia enim quæ Reuerendissimi Domini Iprensis hostes aduersus eum moliuntur, & quidquid in Bullam Pij V. commentantur eò tendunt, vt per latus eius S. Augustinum petant: cuius humilis de gratia Saluatoris fides & doctrina à principio statim institutæ Societatis, vbi

philoſophari cœperunt, diſplicere iis cœpit, nec vnquam poſteà circuire eam, aut pulſando apertè, aut ſubneruando occultè deſtiterunt.

Hæc cùm non ignoretis, incredibile nobis eſt, ſapientiſſimam illam, & toto orbe celeberrimam Sorbonam, præcipuum poſt Romanum Tribunal Eccleſiæ propugnaculum, tam facilè poſſe adduci, vt ſententiam in re tam ancipiti & periculoſa præcipitet, & ſinat ſe ab aduerſariis tam ſimpliciter circumueniri, quorum artes tam ſæpè aut prudentiâ eluſit, aut fortitudine fregit. Fiſtula eorum fortaſſe vobis cauet, non de Hipponenſi, ſed de Iprenſi Auguſtino hîc agi. Sed qui illuſtriſſimum & incomparabilem Archiepiſcopum veſtrum Senonenſem, cuius ſanctus Auguſtinus per ſeipſum docens, iam iam cum magna omnium eruditorum exultatione in manus noſtras venit, imitabuntur, & vtrumque Auguſtinum ſedulò inter ſe comparare ſtuduerint, fucum & dolum videbunt, dicéntq; non magis ouum ouo, quàm Iprenſem Hipponenſi ſimilem eſſe.

Si veræ Facultatis Theologicæ laudes, cur eius detrectatur Tribunal? cur miſcentur inanibus turbis Sorbonæ comitia?

Senonenſis Archiepiſcopi cygneam vocem mox ſubiiciemus.

Nec eſt etiam quod de quæſtiuncularum quarumdam S. Auguſtini à Sede Apoſtolica nondum diſertè & in terminis definitarum damnatione aut reiectione agitari dicant. Vnica enim omnium catena eſt, & notum eſt (ait ſanctus veſter Proſper) ita ſe falſitatis huius habere verſutias, vt totam ſe poſſit in exigua ſui parte reparare. Date ipſis ſolùm extremum catenæ annulum, ſatis habent vt ineuitabili ſequelâ trahant vniuerſam.

Mendaciorum ac calumniarum farrago mera.

Cùm igitur hæc & plurima alia non ignoretis, perilluſtres & eximij Viri, nunquam credemus, niſi vos ipſi nobis ſignificare dignemini, vera eſſe quæ fama triſtiſſima huc attulit, ſed animo toto complectemur illam, quam de celeberrima & vetuſtiſſima Facultate Theologica tot Facultatum alibi fœcunda matre à maioribus noſtris accepimus, & ipſimet etiam tot aliis argumentis excellentiam fateri cogimur. Si aliquid deinde gratiæ cuiquam mortalium aduerſus vtrumque Auguſtinum dare fas eſſet, certè non illis communibus

hostibus nostris oporteret, qui ruinis nostris imminent & Academias istas duas ad Germaniarum, in quibus dominantur, solitudinem & frigus redigere volunt. Quocumque enim Socij isti intrant, primò angustias aliis faciunt, deinde paulatim submouent, ac postremò extrudunt, quasi de se hoc scriptum esse interpretentur: Habitabit Israël confidenter & solus. Deus Opt. Max. vos nósque à tali Societate seruet, & in vobis vt olim & hactenus Ecclesiæ suæ impenetrabiles muros ad reprimendos & frangendos hæreticorum [*Lutheranorum*, *Caluinianorum*, *Gomaristarum & Iansenianorum*] impetus ædificet. Quod vouemus ex animo.

Magnificæ & perillustris, eximiarum & clarissimarum DD. VV. humiles famuli & deuotissimi amici Rector & Vniuersitas Studij generalis Louaniensis. De mandato Dominorum meorum PETRVS MINTARY, *dictæ Vniuersitatis Notarius* 1644. *Martij Idibus.*

Quoniam verò Illustrissimi ac reuerendissimi Senonensis Antistitis D. D. OCTAVII DE BELLEGARDE *facta est mentio, cuius nomine atque auctoritate in edendo libello abusus est Doctorculus nescio quis, placet hîc postrema morituri verba adscribere, quibus suam de Abbate Sancti Sigyrani eiusque Auditoribus ac discipulis Iansenianæ hæreseos per Gallias propagatoribus, sententiam fuco procul omni syncerèque admodum expressit, & per Dominum Baronem de Renty ad Illustrissimum ac Reuerendissimum Dominum Nuntium Apostolicum, vt summum Pontificem certiorem faceret, deferri curauit.*

Les derniers sentimens de feu Monseigneur l'Archeuesque de Sens Octaue de Bellegarde, touchant les Disciples de l'Abbé de Sainct-Cyran, enuoyez à Monseigneur le Nonce, pour informer sa Sainctété.

IL ne s'agit pas de les condamner, mais seulement de ne les pas auctoriser, & d'inspirer à sa Sainctété de ne rien faire, qui paroisse approuuer les personnes & leurs desseins.

Que Monſeigneur de Sens a touſiours fait grande difference entre l'approbation de la doctrine contenuë au Liure de la Frequente Communion & l'approbation, ſoit du ſieur Arnauld, qui en eſt l'Autheur; ſoit du ſieur Abbé de S. Cyran; particulierement depuis qu'il a remarqué, que d'vne approbation ils inferent l'autre; il a pris ſoin particulier d'aduertir ſes amis, qu'il ſe faut bien garder de confondre ces deux choſes, & que pour n'auoir rien trouué dans le liure de la Frequente Communion, qui ne fuſt orthodoxe, il ne veut pas pourtant qu'on croye qu'il fait meſme iugement de leurs perſonnes, & de leurs deſſeins, & qu'il les tienne pour orthodoxes. La ſingularité affectée qu'il a toûiours remarquée en eux, l'orgueil, la preſomption d'eſprit, & le meſpris des autres, le ſoin de ſe cacher de ceux, qui ne ſont pas tout à fait à eux, & choſes ſemblables, l'ont obligé il y a long temps de faire grande difference entre leurs deſſeins, & la doctrine, qu'ils donnent au public. Il eſt obli-

C'eſtoit ſon ſentiment particulier, auquel il perſiſtoit aprés luy auoir donné ſon approbation, & y auoir fait changer beaucoup de propoſitions bien plus eſtranges que celles qui y ont paru.

gé de croire tout ce party ſuſpect à l'Egliſe, pour auoir veu, que ſon commencement a eſté dans l'illuſion, dont l'vn des effets a eſté vne fauſſe deuotion appellée, le Chapelet ſecret du S. Sacrement, condamné comme tel par huict Docteurs de Sorbonne.

Voyez plus amplemẽt ſur ce point & pluſieurs autres ce qui eſt obſerué dans le liure intitulé: *Les Reliques de l'Abbé de S. Cyran.*

Pour auoir ſçeu par perſonnes dignes de foy, que le ſieur de S. Cyran parloit de l'Aſſemblée du Concile de Trente, comme d'vne Aſſemblée politique, & qu'il n'eſtoit nullement vray Concile.

Pour auoir auſſi ouy parler pluſieurs perſonnes tres-croyables, que ledit ſieur Abbé tendoit à oſter la Frequente Communion, meſme aux meilleures ames, ſous pretexte d'vne Communion ſpirituelle, qu'il faiſoit paſſer pour plus ſaincte, & pleine de grace, que la Communion ſacramentale.

Qu'en ſon Catechiſme, leçon 6. en la definition de l'Egliſe, il ne fait aucune mention de la Hierarchie Eccleſiaſtique: il ne parle ny du Pape, ny des Eueſques, en ſorte que ſelon

lon cette definition l'Eglise peut eſtre inuiſible.

La couſtume dudit ſieur communiquant ſes ſecrets à ceux qu'il eſperoit gagner, eſtoit de leur dire, que s'ils en parloient, il leur ſouſtiendroit, qu'ils auoient menty. Tellement qu'il communiquoit ſa mauuaiſe doctrine en parlant à l'oreille; & tout au contraire publiquement, tant de viue voix, que par eſcrit.

Ie me ſuis donc trouué obligé par toutes ces choſes de me défier grandement de ce party; & i'ay conſeillé à mes amis de faire le meſme, lors qu'ils m'ont demandé mon aduis.

On peut adiouſter ce que m'a dit vn des leurs, que lors qu'ils ſeront approuuez & eſtablis, ils vouloient oſter la Confeſſion des pechez veniels, comme n'ayant eſté pratiquée en l'antiquité. Tellement qu'on peut dire d'eux qu'ils pratiquent preſentement au Port-Royal, ce qu'ils veulent oſter, & preſchent & publient la doctrine qu'ils condamnent. Ils veulent paroiſtre grands ſouſtiens & defenſeurs de la Hierarchie de l'E-

glise par Petrus Aurelius, & leurs discours publics, & ils y sont les plus contraires. Mais ils amusent d'apparence pour s'establir, pour aprés répandre ce qu'ils tiennent tres-caché, & ne communiquent mesme qu'à peu de leurs Freres.

---

§. VI.

Propositiones damnatæ à deputatis Doctoribus sacræ Theologicæ Facult. Parisiensis, anno 1649.

Iansen. pp. 19. 20. 21. 22. &c. I. ALIQVA Dei præcepta hominibus iustis volentibus, & conantibus, secundum præsentes quas habent vires, sunt impossibilia. Deest quoque eis gratia, quâ possibilia fiant.

Prima propositio est hæretica.

Pp. à 33. ad 50. II. Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur.

Secunda propositio est contraria sacris Scripturis.

Pp. à 1. ad 18. III. Ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas à neces-

ſitate, ſed ſufficit libertas à coa-ctione.

Tertia deſtruit rationem meriti & demeriti, éſtque hæretica.

IV. Semipelagiani admittebant præuenientis gratiæ interioris neceſſitatem ad ſingulos actus etiam ad initium fidei, & in hoc erant hæretici, quòd vellent eam gratiam talem eſſe cui poſſit humana voluntas reſiſtere vel obtemperare.

Ex Ianſenii pyxide hoc venenum prodiit de hæreſi Pelagiana, & alibi paſſim.

Quartæ propoſitionis prima pars eſt falſa & temeraria: ſecunda verò quæ aſſerit hæreticum eſſe admittere gratiam cui poßit humana voluntas reſiſtere, eſt hæretica.

V. Semipelagianorum error eſt Chriſtum pro omnibus omninò hominibus mortuum eſſe, aut ſanguinem fudiſſe.

Ianſ. pp. à 59. ad 63.

Quinta eſt falſa, ſcandaloſa, inſimulans erroris veritatem ſacris Scripturis contentam, & in Concilio Tridentino declaratam.

VI. Senſit olim Eccleſia priuatam ſacramentalem Pœnitentiam pro peccatis occultis non ſufficere.

Arnaldiſtas S. Sigyrani diſcipulos iſta theſis ſpectat.

Sexta vel ſpectat ad quæſtionem in-

ris: & ſenſus eſt, ſenſit olim Eccleſia priuatam ſacramentalem Pœnitentiam reipſa & abſolutè pro peccatis occultis non ſufficere; & eſt hæretica, errorem infallibili Eccleſiæ affingens: vel ſpectat ad quæſtionem facti; & ſenſus eſt, ſenſit olim Eccleſia ex temporis illius diſciplina non ſufficere priuatam ſacramentalem Pœnitentiam pro peccatis etiam occultis, & falſa eſt, & temeraria.

Attritio alia merè naturalis, alia quæ ex Chriſti gratia elicitur, & in modo eſt ſupernaturalis.

VII. Naturalis attritio ſufficit ad ſacramentum Pœnitentiæ.

Septima intellecta de attritione merè naturali, vt ſufficienti ad ſacramentum Pœnitentiæ cum effectu gratiæ iuſtificantis recipiendum, eſt hæretica.

Ita visvm clariſſimis Doctoribus & Magiſtris: Iacobo Hennequin Decano & Profeſſori Theologiæ.

Iacobo Pereyret magno Moderatori Collegij Regij Nauarræ & Profeſſori Theologiæ.

Clavdio Morel Doctori & Socio Sorbonico.

Nicolao Cornet Syndico Facultatis.


N. Gavgvelin Doctori Nauarr.

FR. IOANNI NICOLAI Primario Regenti in Theologia apud Fratres Prædicatores.

MARTINO GRANDIN Professori Theologiæ Moralis in Sorbona.

Deputatis in Conciliis Generalibus mensis Iulij huius anni 1649. à sacra Facultate ad examen prædictarum propositionum.

Quis verò, quas turbas, quóve prætextu & modo sequentibus Comitiis in Sorbona excitarit, non est mei instituti sigillatim exponere, cùm præsens ipse non interfuerim, sed aliorum sermonibus vulgatam rem duntaxat acceperim. Ab ipsis, in quorum oculis ac conspectu cuncta peracta sunt, Doctoribus Sacræ Facultatis, maximè deputatis, narrationem illam expectamus in dies, cum nonnullis aliis ad Iansenianam Historiam spectantibus.



ris: & sensus est, sensit olim Ecclesia priuatam sacramentalem Pœnitentiam reipsa & absolutè pro peccatis occultis non sufficere; & est hæretica, errorem infallibili Ecclesiæ affingens: vel spectat ad quæstionem facti; & sensus est, sensit olim Ecclesia ex temporis illius disciplina non sufficere priuatam sacramentalem Pœnitentiam pro peccatis etiam occultis, & falsa est, & temeraria.

Attritio alia merè naturalis, alia quæ ex Christi gratia elicitur, & in modo est supernaturalis.

VII. Naturalis attritio sufficit ad sacramentum Pœnitentiæ.

Septima intellecta de attritione merè naturali, vt sufficienti ad sacramentum Pœnitentiæ cum effectu gratiæ iustificantis recipiendum, est hæretica.

Ita visum clarissimis Doctoribus & Magistris: Iacobo Hennequin Decano & Professori Theologiæ.

Iacobo Pereyret magno Moderatori Collegij Regij Nauarræ & Professori Theologiæ.

Clavdio Morel Doctori & Socio Sorbonico.

Nicolao Cornet Syndico Facultatis.

N. Gavgvelin Doctori Nauarr.

Fr. Ioanni Nicolai Primario Regenti in Theologia apud Fratres Prædicatores.

Martino Grandin Professori Theologiæ Moralis in Sorbona.

Deputatis in Conciliis Generalibus mensis Iulij huius anni 1649. à sacra Facultate ad examen prædictarum propositionum.

Quis verò, quas turbas, quóve prætextu & modo sequentibus Comitiis in Sorbona excitarit, non est mei instituti sigillatim exponere, cùm præsens ipse non interfuerim, sed aliorum sermonibus vulgatam rem duntaxat acceperim. Ab ipsis, in quorum oculis ac conspectu cuncta peracta sunt, Doctoribus Sacræ Facultatis, maximè deputatis, narrationem illam expectamus in dies, cum nonnullis aliis ad Iansenianam Historiam spectantibus.



§. VII.

Vniuersitas Louaniensis omnium prima die 7. Nouembris anni 1519. damnauit Lutherum, & in eo Iansenium. Habetur Censura Tomo 2. operum Lutheri. p. 35.

Nunquid aliud docuit Iansenius verè spurius Louaniensis Academiæ Doctor?

CIRCA mandata Dei dicit: Deus ligat hominem ad impossibile, & quòd diuino præcepto tenemur ad non habendum fomitem peccati, quem quia habemus, & in hac vita carere non possumus, semper peccamus.

Item dicit, quòd virtutes morales & scientiæ speculatiuæ sunt peccata & errores in peccatoribus, quia fiunt necessariò ex corde malo, & nondum sanato per gratiam.

Et multa alia passim inserit æquè, vel magis absurda, & erronea.

Librum & tractatus doctrinaliter damnamus tanquam communitati fidelium nociuos, veræ & sacræ doctrinæ aduersos, & de medio tollen-

dos censemus, ignique cremandos, & auctorem ipsum ad reuocationem & abiurationem supradictorum cogendum. *Exclamare libet, ô Louanium! ô Facultas! ô Theologia! quid tibi cum delirantibus seniculis Libertino Fromondo, Henrico Caleno, & pauculis aliis, qui Louaniens. Vniuersitatem toto orbe Christiano infamant. quin euomis, quin damnas & proscribis germanos illos renascentis Lutheri catulos, atque ad reuocationem & abiurationem damnatæ toties doctrinæ adigis? Quare hoc sæculo:* obscuratum est aurum, mutatus est color optimus, dispersi sunt lapides sanctuarij in capite omnium platearum? Filij Sion inclyti, & amicti AVRO PRIMO: quomodo reputati sunt in VASA TESTEA, opus manuum figuli? *Verùm non omnes abierunt post Baal: seruauit & sibi Dominus ex ea Facultate Doctores plurimos, eósque præcipuos, qui non curuauerunt genua ante idolum affectatæ nouitatis, vt paulò post ostendemus.*

Sunt etiam in manibus omnium Articuli dicti Louanienses numero 32. editi à Facultate Theologiæ con-

gregatâ per iuramentum in Collegio Theologorum anno à natiuitate Domini 1544. die sexta mensis Decembris cum hoc epiphonemate:

Ergo quod vnum nostræ Facultatis est, mandamus Theologiæ studiosis omnibus quacumque ratione nobis subiectis, & IN POSTERVM subiiciendis. Primùm, ne quid vsquam doceant aut profiteantur, quod dogmatibus his contrarium sit. Deinde, vt eadem fideliter, cùm locus & occasio postulabit, tueantur & explicent ad VETERIS & ORTHODOXÆ FIDEI custodiam & ædificationem Christiani populi. SI QVI VERO CONTRARIA, eos pro modo Facultatis nostræ OMNINO PVNIRE DECREVIMVS.

O si nunc reuiuiscerẽt sapientissimi Doctores, & Louanii regnantem Lutheri doctrinam intuerentur!

Septimus articulorum illorum Louaniensium est huiusmodi:

CERTA FIDE TENENDVM EST HOMINEM HABERE LIBERVM ARBITRIVM, QVO POTEST MALE, & CVM GRATIA DEI BENE AGERE, & post mortale peccatum admissum Deo adiuuante pœnitere, & peccatorum remissionem consequi.

Martinus Lutherus 76. articulos 32. Louaniensibus opposuit ex aduerso, atque in iis 39.

Liberum arbitrium ad bonum est nullum: cum gratia autem posse in bonum, hoc est magistrolliter aliud respondere, quàm quæritur in libertate arbitrij.

Lege pp. Iansenii à prima ad 18.

Ruardus Tapper ab Enchusa insignis superiori sæculo Theologus Ecclesiæ Collegiatæ S. Petri Louaniensis Decanus, & eiusdem florentissimæ Academiæ Cancellarius, explicationem edidit viginti articulorum venerandæ Facultatis sacræ Theologiæ Generalis Studij Louaniensis circa dogmata Ecclesiastica controuersa vnà cum responsione ad argumenta aduersariorum annis 1555. & 1557. atque Philippo Hispaniæ Regi consecrauit. In iis eminet Tractatus septimus de libero arbitrio, quem vnum veluti scutum inexpugnabile omnibus Baij Ianseniique conatibus opponere, seorsimque edere præstiterat. Sic verò incipit:

LIBERVM ARBITRIVM est Facultas, qua positis omnibus requisitis ad eligendum & agendum possumus non eligere & non agere; ita videli-

Eadem est Parisiensis Facultatis Doctorum, Societatis IESV Theo-

logorum omniúmque adeò Catholicorum de libero arbitrio doctrina Ianseniana, Lutherana, Caluiniana è diametro opposita.

cet, quòd omnibus similiter se habentibus, quando eligimus, possimus non eligere; imò plerumque refutare; & quando non eligimus aut refutamus, eligere possimus & refutare. A qua Facultate dicitur causa aliqua libera & agens liberum: & causa naturalis est, quæ necessariò agit omnibus prærequisitis positis, nec potest non agere, &c. Deus liberum arbitrium sic mouet, vt non ex necessitate moueatur, nec AD VNVM ipsum DETERMINET, sed remaneat motus eius contingens, non autem fiat necessarius. Si tamen Deus voluntatem ad aliquid moueret, impossibile est huic positioni, quòd ad hoc non moueatur: nec tamen est simpliciter impossibile: quia eo momento, quo ad aliquid mouetur, potest contrarium velle: positâ autem hac motione & concursu Dei, quo vult nos velle & agere, volemus & agemus. Necessitari tamen voluntatem à Deo, qui auctor est naturæ, quamuis cogi ab eo non possit, nihil vetat: nam tunc AVFERRET ILLI LIBERTATEM IN TALI ACTIONE

Ad meritũ & demeritum libertas cum necessitate stare nequit.

mouendo eam ceu brutam pecudem, quod nunquam facit lege communi.
Huiusmodi autem facultatem eligendi vel acceptandi & refutandi atque reiiciendi ea, quæ per intellectum proponuntur, esse in homine testantur Scripturæ sacræ, &c. *ad quæ Lectorem pium ac Catholicæ veritatis cupidum amandare soleo, vt discat quis sensus fuerit antiquorum Scholæ Louaniensis Doctorum. Non enim vacat plura exscribere ex eo Tractatu qui vel vnicus sufficere posset Catholico Theologo ad prosternendos omnes obterendosque Ianseniј & Iansenianorum nefarios conatus.*



---

§. VIII.

Michael Baius anno 1580. die 24. Martij damnationi propoſitionum à Pio V. & Greg. XIII. ſummis Pontificibus factæ acquieuit, & profeſſus eſt ſe plurima ex iiſdem in ſuis libellis defendiſſe in eo SENSV, IN QVO REPROBATÆ FVERVNT *ab Apoſtolica Sede. Quo telo confoſſus iacet, æternúmque iacebit damnatus Baianarum ſententiarum inſtaurator Ianſenius.*

EGo MICHAEL DE BAII, Cancellarius Vniuerſitatis Louanienſis, agnoſco & profiteor me ex variis colloquiis, & communicationibus habitis cum R. P. D. Franciſco Toleto, Concionatore ſuæ Sanctitatis, & ad hanc rem ſpecialiter miſſo ſuper diuerſis ſententiis, & propoſitionibus iam olim à S. D. N. Pio V.

felic. record. ſub data Kal. Octob. anno 1567. & nuper à Gregorio XIII. moderno Pontif. Max. ſub data 4. Kal. Feb. anno 1579. iteratò damnatis & prohibitis, ita motum, & eò perductum eſſe, vt planè mihi habeam perſuaſum earum omnium ſententiarum damnationem, atque prohibitionem iure, meritóque, ac non niſi maturo iudicio, & diligentiſſimâ excuſſione præmiſſis factam, atque decretam eſſe. Fateor inſuper plurimas ex iiſdem ſententiis in nonnullis libellis à me olim, & ante emanatam Sedis Apoſtolicæ ſuper iis cenſuram conſcriptis, & in lucem editis contineri & defendi etiam eo ſenſu in quo reprobantur. Denique declaro me in præſentiarum ab iis omnibus recedere, & damnationi à S. Sede factæ acquieſcere, neque poſthac illas docere, aſſerere, aut defendere velle. Datum Louanij die 24. Martij anno 1580.

MICHAEL DE BAII.

Ex hinc Facultas Theologica Louanienſis ad perpetuam rei memoriam ſan-

citum voluit, vt studiose omnes prædictos articulos in Bulla damnatos in graduum susceptione abiurare, & Magistri Professoresque omnes ab iis docendis defendendis asserendisque abstinere, & diuersam atque oppositam doctrinam tradere iubeantur. Cui Constitutioni omnes ad vnum Facultatis Doctores manu propriâ tunc subscripsere, eáque est ad perpetuam rei memoriam, inquit Ripalda sect. 1. n. 7. disp. 1. etiam in publica instrumenta & codicillos relata. Quæ etiam hodie apud illos viget, & iureiurando constringit. Quare huius religionis violatores sunt plures Baiani Iansenius, Fromondus, aliique, qui in ea Academia ad gradum Doctoratus eo præmisso iuramento fuerunt promoti.

Formulam huius iurisiurandi suo tempore posthac Lectori cum pluribus aliis, Deo dante, subministrabimus. Interim prodeant quæ iam editæ sunt, Doctorum orthodoxorum syngrapha.

§. IX.

SYNGRAPHÆ *S. Theologiæ Doctorum Academiæ Louaniensis, qui se Bullam* VRBANI PP. VIII. *recipere, eique parere se velle declararunt, mense Decembri anni* MDCXLIII.

INFRASCRIPTI ad requisitionem R.D. Pronuntij Apostolici in Belgio, declaramus nos Bullam S.D.N. VRBANI VIII. quâ confirmantur Constitutiones Pij Papæ V. & Gregorij XIII. ac prohibetur AVGVSTINVS CORNELII IANSENII olim Iprensis Episcopi, in quo MVLTÆ EX PROPOSITIONIBVS à SEDE APOSTOLICA antè DAMNATIS CONTINENTVR, & contra easdem DAMNATIONES DEFENDVNTVR, tanquam Romæ legitimè affixam & publicatam reuerenter recipere, ideóque in omnibus & per omnia parituros.

Hinc videas non à Catholicis Louaniensibus scriptam fuisse superiorem epistolam ad Academicos Parisienses, sed à refractariis & contumacibus: si tamen Louanii & non potiùs Parisiis cusa fuit ab Arnaldistis hæc faba.

Ioannes Schinkelius Senior Facultatis Theologiæ Louanij Regens,

ac in eadem ordinarius Professor, Præsidens Collegij Adriani VI.

Christianus Beusecum secundus eiusdem Facultatis Regens, ac in eadem Professor Regius, Regiique Seminarij Præsidens.

Guillelmus ab Angelis tertius eiusdem Facultatis Regens, necnon sacræ Theologiæ Scholasticæ senior Professor Regius.

Ioannes Caramuel Lobkowits S. T. D. Melrosæ Abbas Ordinis Cisterciensis.

Matthæus Theyghe S. T. D. & linguæ Græcæ Professor Academicus, Præses Collegij Pastoralis Hiberniæ.

Antonius Dauius S. Theologiæ Doctor, & Moralis scientiæ Academicus Professor, Collegij Sabaudiæ Præsidens.

Iacobus Speecq S. T. D. & Professor ordinarius.

Leuinus Debbaut S.T. Licentiatus, & Professor ordinarius.

EIDEM FORMVLÆ subscripserunt ex Ordine sancti Dominici S. Theologiæ Doctores.

F. Fran-

F. Franciſcus Hyacinthus Coquetius Ordinis Prædicatorum ſacræ Theologiæ Doctor Duacenſis.

F. Marius Ambroſius Capello Ordinis Prædicatorum S. T. Doctor Louanienſis.

Suppoſito quòd hæc vltima Bulla, prout eſt nobis ab eximio D. M. N. Ioanne Schinckelio exhibita, de facto, prout talis eſt, emanarit à Sede Apoſtolica, ſitque Romæ, & hîc ſufficienter publicata, ſubſcribo tanquam obediens filius ſanctæ Romanæ Eccleſiæ.

F. Andreas à Turri S. T. Doctor Louanienſis Ord. Prædic.

Ego F. Gaſpar Dingens Ord. Prædic. S. T. Doctor Louanienſis abſolutè, & ſine limitatione humiliter & reuerenter recipio & pareo præfatæ Bullæ, de cuius publicatione ob auctoritatem illuſtriſſimi D. Abbatis S. Anaſtaſiæ Pronuntij S. Sedis Apoſtolicæ in Belgio, non poſſum dubitare.

Cur verò ſenioribus illis, primo, ſecundo, tertióque Regentibus, cæteriſque ſanioris mentis Doctoribus non ſubſcripſere FROMONDVS, CALENVS, SINI-

CHIVS, PAPIVS, *similísque contumaciæ Doctores? Plures hîc recitare causas supersedeo, quæ Louaniensibus, Duacensibus, cæterísque Belgis, non sunt ignotæ. Earum loco accedat Iuramentum, seu Protestatio eiusdem* CALENI, *quam tamen non satisfecisse Romano Pontifici, vt pote fraudulenter, verbisque subdolis scriptam, omnes probè norunt: docuitque euentus, quàm parùm probentur Apostolicæ Sedi, Regi, Archiduci, sanctioríque Concilio, quámque indigni videantur Episcopalibus infulis Iansenianæ factionis fautores.*

EGO HENRICVS CALENVS Archidiaconus Meclinienſis, & nominatus Epiſcopus Ruremondenſis, profiteor me in omnibus obedientem S. R. Eccleſiæ, & S. D. N. Innocentio diuinâ prouidentiâ Papæ, eiuſque ſucceſſoribus: & licèt exiſtimans ea, quæ continentur in libro Reuer. CORNELII IANSENII quondam Iprenſium Epiſcopi, qui dicitur AVGVSTINVS, eſſe ex pura mente, & doctrina S. Auguſtini magni Eccleſiæ Doctoris, & iuxta ſenſum ab eadem ſancta Romana Eccleſia receptum,

&c. approbatum, huic fundamento innixus eundem librum legerim & defenderim: tamen certior factus posteà constantis voluntatis Vrbani VIII. felic. record. & S. D. N. Innocentij X. præfatum librum prohibentium, declaro me S. Sedi Apostolicæ, eiúsque summorum Pontificum mandatis obedientiam præstare, atque inuiolabiliter deinceps præstiturum, neque directè, vel indirectè contrauenturum, sepofuisse, seponere, nec illum ampliùs lecturum. Insuper declaro me omnes, & quascumque hæreses detestari, propositiones omnes, & sententias damnatas, & damnandas in quolibet auctore, etiam in præfato IANSENII libro, cui titulus AVGVSTINVS, pro damnatis habere, & habiturum. Ita spondeo, voueo, & iuro Ego idem HENRICVS CALENVS Archidiaconus Meclinensis. Sic me Deus adiuuet, & hæc sancta Dei Euangelia, &c.

Addere debuerat, declarantium in eo Pseudo-Augustino contineri propositiones à summis Pontificibus iam damnatas: quod contumaci vir ingenio nunquam voluit profiteri. En vulpem in astutia sua captam & à sapientibus Catholicis delusam.

Ego Antonius Abbas S. Anastasiæ, &c. Iuramentum obedientiæ iuxta suprascriptam formam, à R. P. Henrico Caleno, &c. in manibus

meis ad verbum emiſſum recepi, & ita teſtor manu propriâ, &c. Die 8. menſis Ianuarij 1646. Antonius Abbas S. Anaſtaſiæ.

---

§. X.

Proteſtatio DD. ſacræ Theologiæ Academiæ Duacenſis ad Sereniſſimum Archiducem LEOPOLDVM *aduerſus Cornelij Janſenij doctrinam, pro ſua erga Sedem Apoſtolicam, & Bullam* VRBANI VIII. *obſeruantia.*

A veritate laborare nimis ius ſæpè aiunt, extingui nunquam.
Tit. Liuius.

NOs *infraſcripti Notarij Apoſtolici reſidentiæ Duacenſis, omnibus & ſingulis, quorum intererit: fidem facimus exhibitam nobis eſſe copiam litterarum ab eximiis D. D. noſtris Georgio*

Coluenerio, Francisco Syluio, & Valentino Randoux Theologiæ Doctoribus & in Vniuersitate hac Duacensi Regiis & ordinariis Professoribus, ad Serenissimum Principem Leopoldum Belgij supremum Gubernatorem, scriptarum 27. Iulij 1648. quarum tenor sequitur:

SERENISSIME PRINCEPS,

INFRASCRIPTI S. Theologiæ Doctores, & Professores in alma Vniuersitate Duacena, certiores facti à viro religioso fide dignissimo, nos scriptis quorumdam ex Vniuersitate Louaniensi traductos quasi doctrinæ, quæ IANSENIO ac BAIO primùm tribuitur, non tantùm subscripserimus aliquando, sed etiam pertinaciter modò adhærescamus, SPLENDIDIVS MENDACIVM fingi nullum posse credimus. cùm constet nos primam VRBANI VIII. felic. memoriæ Bullam contra IANSENIVM amplexos, ipsámque in Scholis publicis solemni ritu promulgasse: inde summum Pontificem breui peculiari ac benedictione hanc Vniuersitatem cohonestasse,

Mendaces Iansenistæ nihil non fingunt, vt incautos ac simplices deludant.

quia tam promptè Sedi Apost. morem gessisset (breue id Pontificium nobis ad manum est) certissimúmque nos diploma super hac re regium exosculatos, integram ipsam Bullam ad scholas publicas affixisse, quam nullus hominum vel digito iniurioso attigit. Hîc protestati sumus & protestamur iterùm iterúmque nos semper præstitisse obedientiam ERGA S. SEDEM PETRI, & REGEM CATHOLICVM, imò semper doctrinam illam IANSENII PROSCRIPTAM VOLVISSE, ita vt NVLLVM VNQVAM EX NOSTRA FACVLTATE THEOLOGIÆ DVACENA INFECERIT. tanto acerbior est dolor noster quanto atrocior iniuria nec ferenda, quâ nomen almæ huius Vniuersitatis traducitur apud Serenissimum Archiducem, quasi inobedientium Ecclesiæ Catholicæ filiorum. Econtrà censuimus COMMVNIBVS SVFFRAGIIS humillimè Celsitudinem suam rogandam, vt pergat DOCTRINAM ILLAM IANSENIANAM SERIÒ EXTIRPARE, QVA NEQVAQVAM DOCETVR B. AVGVSTINI MENS. Et cùm hoc malum

Inde mendacii argues propensum Regis Catholici in Iansenismum fauorem, & totam Salmanticensis Doctoris fabulā.

Doctores Duacenses petunt ab Archiduce vt pergat doctrinam Iansenianā seriò extirpare.

Augustini nomen falsò suæ prætendunt hæresi Iansenistæ.

in peius ita ſerpat, vt ſaniori Belgicæ noſtræ parti, & Academiæ huic affi-ctum mentiantur, illi verendum magis ne PETVLANTIA INGENIA, SIVE IN ACADEMIIS, SIVE IN MONASTERIIS, & alibi incautos, & minùs verſatos in S. Auguſtini voluminibus, hac pernicioſâ doctrinâ imbuant, & ab huiuſcemodi verò ſcintillis magna excitentur incendia, niſi poteſtas Sereniſſimi illa ipſa in ſuis principiis extinguat. Cæterùm profitemur & proteſtamur neque hîc, neque aliàs à Bullis ac mandatis Pontificiis diplomatibúſque Regiis ne latum vnguem eſſe diſceſſuros, ſed ſemper fore morigeros, prout pleniùs ex relatione venerabilis Religioſi, de Facultate noſtra benè meriti, latoris præſentium, ſua Sereniſſima Celſitudo intelliget, cui eadem Facultas Theologica Duacena deuota ex animo omnem ſoſpitatem ac felicitatem precatur. Duaci 27. Iulij 1648. ſignatum erat GEORGIVS COLVENERIVS. FRANCISCVS SYLVIVS. VALENTINVS RANDOVX.

Petulantia ingenia Iãſeniſmo fauent, & pernicioſam doctrinam diſſeminãt.

Insuper testamur illos ipsos eximios tres DD. nostros ante nominatos coram nobis personaliter comparentes, asseruisse scripsisse se originale antedictarum litterarum ad supradictum Serenissimum Leopoldum, per venerabilem D ..... Gallopin, qui & ipse coram nobis etiam constitutus fide bonâ professus est litteras originales, de quibus suprà fit mentio, reddidisse se ipsimet Serenissimo, in quorum omnium & singulorum fidem hoc instrumentum publicum desuper confecimus, & manu propriâ signauimus. Duaci 17. Septembris 1648. ANTONIVS DIEVLOT *Not. Apostolicus.* M. IOANNES DIESTRE *Not. Apostolicus.*

Ad hanc Doctorum Duacensium epistolam gratulabundus Princeps Serenissimus his verbis responsum dedit.

LEOPOLDVS GVILLELMVS Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, &c. Locum tenens, Gubernator & Capitaneus Generalis Belgij & Burgundiæ,&c.

HONORABILES ET SINCERE NOBIS DILECTI.

INTELLEXIMVS nostro singulari gaudio ac voluptate, quantâ fortitudine animi, quantóque honore nominis vestri steteritis contra PERNICIOSAM DOCTRINAM IANSENII SVB PALLIO SEV NOMINE D. AVGVSTINI, VELVTI SVB MELLE VENENVM simplicioribus atque incautis propinatum: fecistis hac in parte quod veros Romanæ Ecclesiæ Theologos fideléfque Regis Catholici subditos magnopere decet, dum hac ratione, tam pro OBEDIENTIA S. SEDI APOSTOLICÆ DEBITA, QVAM PRO AVCTORITATE REGIÆ MAIESTATIS DECERTASTIS. Vnde non immeritò digni habiti fuistis quorum sanam doctrinam obseruantiámque erga S. Sedem Romanam summus Christi

Sereniss. Princeps doctrinam Iansenii perniciosam appellat, & sub melle sancti Augustini delitescens venenum.

Pro Sedis Apostolicæ & Regiæ Maiestatis auctoritate decertant, qui peruersum Iansenii dogma causam malorum in Ecclesia oppugnāt.

Vicarius palam commendaret, veſtrámque Facultatem per ſpeciale Apoſtolicum Breue honoraret: & quia ſatis præuidemus quantum ex PERVERSO IANSENII DOGMATE MALVM ECCLESIÆ, præſertim Belgicæ, immineat, niſi quamprimùm occurramus per opportuna remedia, maximè verò per doctos probatæque fidei viros, è quorum numero vos eſſe agnoſcimus, inde eſt quod ex deſiderio quo ferimur ad conſeruandam vbique ſinceram doctrinam ac fidem Catholicam, veſtram quoque operam requiramus, cupientes ex vobis intelligere quanam potiſſimùm ratione iudicetis obuiandum eſſe præſenti malo, quod ſenſim ita ſerpit, vt iam non ſolùm Louanienſem Vniuerſitatem, ſed aliquos etiam primores Eccleſiæ, familiáſque Religioſas inſtar CONTAGIOSÆ PESTIS corripuerit: in hoc porrò negotio, quantò promptiora & meliora nobis conſilia ſuggeſſeritis, tantò gratiora ea nobis erunt, quando præſertim ad ſatisfaciendum Sedi Apoſtolicæ per publicationem exequutionémq;

Bullæ Vrbani VIII. quæ contra præfatam Ianſenij doctrinam emanauit, videmus nos iam iteratis à Rege literis vrgeri, ratióque officij noſtri exigit, vt in re tanti momenti nullas omninò moras faciamus. His vos honorabiles ſincerè nobis dilecti, diuinæ protectioni commendamus, manemúſque vniuerſæ veſtræ Facultati noſtrâ gratiâ & fauore optimè propenſi. Tornaci 3. Septemb. 1648. ſubſcriptum LEOPOLDVS GVILLELMVS, & inferiùs ſignatum VERREYKEN. Subſcriptio Epiſtolæ erat, vt ſequitur: Honorabilibus, & ſincerè nobis dilectis Doctoribus, & Profeſſoribus Theologicæ Facultatis in Vniuerſitate Duacena, & erat ſigillata ſigillo Regio ſuper oblea rubra.

Collatione factâ cum originali, nos infraſcripti Notarij reperimus de verbo ad verbum concordare. Actum Duaci 17. *Septembris* 1648.

M. IOANNES DIESTRE reſidentiæ Duacenæ Notar. Apoſt.

ANTONIVS DIEVLOT Notar. Apoſt.

Poſteri dies ſapientiſſimi teſtes.

Anno proximè ſequenti 1649. prodiit Liber Duaci, typis Viduæ Marci Wion, ſub ſigno Phœnicis, hoc titulo: Veritas et Æqvitas *Cenſuræ Pontificiæ Pij V. Gregorij XIII. Vrbani VIII. ſuper articulis 76. damnatis, propugnata conſtanter ac illuſtrata à Facultate Theolog. Duacena, antiquiore & recentiore: ſiue*, Antitheses *deſumptæ digeſtæq; ad mentem S. Auguſtini, ex luculentis Commentariis eximiorum Doctorum ac Magiſtrorum noſtrorum* Gvillelmi Estii, *&* Francisci Sylvii, *quot ipſæ, tot rationes, cur* Vniversitas Dvacena *Vrbanam Bullam de his articulis promptiſſimè acceptarit, in publicis Scholis promulgarit, iiſdémque affixerit.* Fidelia omnia mandata eius confirmata in ſæculum ſæculi facta in veritate & æqvitate. *Pſalmo* 110.

Excanduit viſo hoc libro, à Collegio Regentum Theologiæ Facultatis Duacenæ, inſcripto ſanctiſſimo Patri Innocentio X. Pont. Max. Libertus Fromondus, atque, vt eſt impatiens iræ, Veritatis Æquitatiſque hoſtis capitaliſſimus, illicò de-

properauit *Lucernulam*, adiecitque Emunctorium, assumptâ non ampliùs *Vincentij*, quam à *Petauio*, ac *Ricardo* victus conuictúsque abiicere tandem coactus est, sed *Fulgentij* laruâ, quam etiam mox haud dubiè depositurus est, factus ex mendaci falsóque *Fulgentio* verus *Tenebrio*, vt sagaciter & ingeniosè coniecit eximius Doctor *Valentinus Randoux*, Decanus pro tempore S. Theologicæ Facultatis Duacenæ, in Epistola, quam Duaci 1. Augusti huius anni 1650. dedit ad laruatum *Fulgentium*, in qua iam repuerascentis vetuli consuetam audaciam egregiâ oratione contudit. Consilium quidem fuerat Excerpta quædam Lectori exhibere, cum iudicio Francisci Syluij super assertionibus quinque de libero arbitrio, quod habetur pag. 138. VERITATIS ET ÆQVITATIS Bullæ Vrbanæ, verùm vitandæ prolixitatis causâ, eiusdem Syluij extrema pænè verba in litteris ad Internuntium Apostolicæ Sedis scriptis tantummodò proponam. *Certiores fieri omnes optamus summum crimen esse, quòd has*

ipsas Bullas PONTIFICVM , *& Facultatem nostram insimulent Pelagianismi, scilicet, quòd ex copiosa Christi redemptione gratiam sufficientem deriuamus etiam in aduersarios nostros , vt possint resipiscere , & ad* OBEDIENTIAM SANCTISSIMÆ SEDIS *redire, non tantùm abstinere à calumniis nomini nostro inferendis dolosè: à qua* OBEDIENTIA ERGA DEI VICARIVM *nullis nos vnquam maledictis aut machinis operantium mendacium dimouendos protestamur , cùm iudicemus vrgere modò tempus præcepti, quo* OPTIMVS QVISQVE *internam fidem erga* VNAM , SANCTAM , CATHOLICAM ECCLESIAM , *eiúsque* VISIBILE CAPVT , ORE , SCRIPTO , SANGVINE , PROFITEATVR. Hæc ille vir immortalitate dignissimus.


Prodiit quoque nuper eiusdem Valentini Randoux secunda ad Fromondum Epistola, quam Lectori cupido veritatis & æquitatis legendam censeo.

§. XI.

Damnatur Ianſenius à iunioribus Doctoribus Academiæ Duacenæ in litteris ad illuſtriſſimum Dominum Internuntium ſcriptis.

SI agatur de propoſitionibus per Vrbanum VIII. eiúſque prædeceſſores damnatis, nemo noſtrûm vllam earum vnquam ſuſtinuit, neque, Deo dante ſuſtinere præſumet, quin & omnes, qui earum aliquas DOCERE tentauerint, ANATHEMATIZAMVS. Rogamus itaque, vt eiuſdem noſtræ erga Sedem Apoſtolicam, & Bullas prænominatas obſeruantiæ Sereniſſimam Celſitudinem ſuam certiorem facere dignetur, &c. Illuſtriſſimæ D. V. ſerui humillimi, NICOLAVS LE LONG, MARTINVS DENYS, FRANCISCVS VAXIVS, GVILLELMVS HYDÆVS.

Cæterarum Vniuersitatum aduersus peruersum Iansenij dogma, eiúsque sectatorum, vt Romanus appellat Pontifex, contumaciam impudentem Censuræ, proscriptiones, atque Anathematismi, suo non deerunt loco ac tempore, vti speramus, nec ea Veritatis orthodoxæ aduersus renascentes attritarum hæreseon propagatores firmissima propugnacula Catholico Lectori inuidebimus.



TRIVM-



TRIVMPHVS CATHOLICÆ VERITATIS, ADVERSVS NOVATORES.

PARS QVINTA.

IANSENIVS DAMNATVS A DOCTORIBVS CATHOLICIS.

CVM Hæreticis de recta in Deum fide peruersè sentientibus Cornelium Iansenium damnarunt, saltem in vno pluribúsue dogmatibus, Doctores Catholici, maximè qui dicuntur Scholastici Theologi, & post Magistrum sententiarum Petrum Lombardum, Parisiens. Episcopum, in orbe Christiano ad hunc vsque annum M D C L. *vixerunt. Quorum Catalogum ordine Alphabetico huic opus-*

culo adtexere voluimus , vt Christiani Lectores intelligant sub quanto grauissimorum testium pondere oppressi gemant infelices Ianseniani.

ADAMVS Tannerus S. T. Doctor & Professor Ingolstadiensis, S. I.

Ægidius Columna Romanus ord. August. Archiepiscopus Bituric.

Ægidius de Koninck Bellanus S. I.

Albertus Hero Snecanus Frisius.

Albertus Magnus Sueuus ord. Præd. Episcopus Ratisbonensis.

Albertus Pighius Campensis Doctor Coloniensis, & S. Ioannis Baptistæ apud Vltraiectum Præposit.

Alexander Alensis, seu de Hales, Anglicus, ord. F. dictus Doctor irrefragabilis, & Fons vitæ.

Alexander Pesantius Romanus Theologus, & I. V. D.

Alfonsus à Castro Zamorensis ord. F.

Alfonsus le Moyne, Doctor & Professor Sorbonicus.

Alfonsus Salmeron Toletanus, S. I. summorum Pont. in Concilio Trident. cum P. Iacobo Lainio eiusdem ord. Theologus celeberrimus.

Alphonſus Toſtatus Epiſcopus Abulenſis in Hiſpania.

Ambroſius Catharinus Pollitius Senenſis, ord. Præd. Minorienſis Epiſcopus, pòſt Compſenſis Archiepiſcopus.

Andreas Duuallius Pontiſarenſis, Doctor & Profeſſor Sorbonicus.

Andreas Vega, ord. F. Salmanticenſis Doctor.

S. Antoninus Archiepiſcopus Florentinus ord. Præd.

Antonius Demochares Monchiacenus, Doctor Pariſienſis.

Antonius de Porta, ſiue à S. Martino, ord. Carmelitarum Reformationis Redonenſis.

Antonius Richardus Theologus, cuius inuictum calamum experti ſæpiùs Ianſeniani, vel ad ſolam eius appellationẽ exhorreſcunt. Quàm verò acceptus fuerit Catholicis omnibus liber eius in Defenſionem Cenſuræ Sorbonicæ, pari ſermonis elegantiâ atque eruditione conſcriptus, diſces ex litteris Domini Valentini Randoux, Duaco, ad Libertum Fromondum miſſis.

Eminentiſsimi Domini Cardinales RICHARDI *Pariſienſis Theologi librum approbarunt: quia demonſtrauit, quòd Nou-Auguſtinus totam doctrinam ſuam ex* HÆRESIARCHIS *deſumpſerit, vt certa fides eſt literis Romæ datis* 28. *Decembris anno* 1647. *ad illuſtriſsimum Dominum Abbatem ſanctæ Anaſtaſiæ Pronuntium Apoſtolicum.*

Armandus Richelius Eminentiſſimus S. R. E. Cardinalis ex Epiſcopo Lucion. Dux & Par Franciæ.

Auguſtinus Triumphus Anconitanus, ord. Eremitarum S. Auguſtini.

Bartholomæus Camerarius.

Bartholomæus Medina ord. Præd. Doctor Salmanticenſis.

S. Bonauentura Balneoregienſis ord. F. Doctor Seraphicus, Cardinalis, Epiſcopus Albanus.

Cæſar Baronius Soranus, Preſbyter Oratorij, & S. R. E. Cardinalis.

S. Carolus Borromæus, Cardinalis, Archiepiſcopus Mediolanenſis.

Carolus Franciſcus D'Abra de Raconis, Doctor Pariſienſis, Epiſcopus Vaurenſis.

Christophorus Marcellus Corcyræ Archiepiscopus.

Claudius Espencæus Doctor Paris.

Claudius de Sainctes, ord. August. Doctor Parisiensis, Episcopus Ebroicensis.

Conradus Brunus I C.

Cornelius Iansenius Flander Doctor Louaniensis, Episcopus Gandauensis, longè diuersus à Cornelio Iansenio Hollando, Iprensi Episcopo.

Cornelius Scultingius Steinweichius Coloniensis Theologus.

Cosmus Alamannius Mediolanensis S. I.

Cunerus Petri, Doctor Louaniensis, Episcopus Leouardiensis.

Didacus Aluarez Metinensis, ord. Præd. Archiepiscopus Tranensis & Salpensis.

Didacus Couarruuias à Leyua, Episcopus Ciuitatensis, posteà Segobiensis.

Didacus Nugnez Cabezudo Hispanus, ord. Præd.

Didacus Ruiz de Montoya Hispalensis S. I.

Didacus Stunica ord. August. Doctor Salmanticensis.
Diegus Alarçon Albazetanus S. I.
Dionysius Theologus Ordinis Cisterciensis.
Dionysius Petauius Aurelianensis S. I. validissimus Iansenianorum & Sancyraniorum malleus.
Dionysius Rikel Carthusianus Belga, dictus Doctor Extaticus.
Dominicus Bannez Mandragonensis ord. Præd.
Dominicus Grauina.
Dominicus Soto Segobiensis ord. Præd. Carolo V. Imperatori à sacris Confessionibus.
Durandus à S. Portiano ord. Præd. Episcopus Meldensis, posteà Aniciensis.
Edmundus Augerius Sezanensis Societ. IESV.
Edmundus Campianus Londinensis Soc. IESV.
Felicianus Capitonus Narniensis ord. Seruorum Archiep. Auenionensis.
Felicianus Minguarda à Morbinio ord. Præd. Archiepiscopi Salisburgensis in Concilio Trid. Orator.

Flaminius Nobilius de Prædestinatione libros duos anno 1575. dicauit Cardinali Vastauillauio.

Franciscus Albertinus Cantanzariensis Soc. Iesu.

Franciscus Annatus Ruthenensis Societ. Iesu, Galliæ Assistens.

Franciscus de Ariba ord. Minorum.

Franciscus Carthagena Hispanus.

Franciscus Costerus Mechliniensis Soc. Iesu.

Franciscus Cumel Salmanticens. Doctor & Generalis Ordinis B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum.

Franciscus Diotaleuius Ariminensis.

Franciscus Ferrariensis ord. Præd. Generalis Magister.

Franciscus Feuardentius Gallus, ordinis F.

Franciscus Horantius Hispanus, ord. Franc. Lector Vallis-oletanus.

Franciscus Leuchettus Brixiensis, ord. F.

Franciscus de Lugo Hispalensis, Soc. Iesu.

Franciscus Mayronis, ord. Minorum.

Franciſcus Rupiſucaldius Cardinalis, Nouatorum hoſtis capitaliſſimus.

Franciſcus Saleſius Geneuenſis Epiſcopus, vir Catholicæ doctrinæ, ſi quis fuit, retinentiſſimus.

Franciſcus Sonnius Doctor Louanienſis, Epiſcopus primùm Syluæducenſis, mox Antuerpienſis.

Franciſcus Suarez Granatenſis, Societ. Ieſu.

Franciſcus Syluius à Brania Comitis, Hannouius Doctor, & Profeſſor Duacenſis.

Franciſcus Toletus Cordubenſis, Societ. Ieſu Cardinalis.

Franciſcus Veronus Caluinianorum & Ianſenianorum infrænator.

Franciſcus à Victoria Hiſpanus, ord. Præd. Doctor Salmanticenſis.

Fredericus Nauſea Viennenſis in Auſtria Epiſcopus.

Gabriel Biel Heluetius, Doctor Pariſienſis, & Profeſſor Tubingenſis.

Gabriel Pennotus Nouarienſis, ex Ordine Canonicorum Regularium, Abbas S. Mariæ Pacis de Vrbe, & Congregationis Latera-

nensis in Romana Curia Procurator Generalis.

Gabriel Vasquez Bellomontanus, Soc. Iesu.

Gaspar Contarenus Venetus, Cardinalis.

Georgius Ederus IC. Imp. Maximiliani II. Consiliarius.

Gregorius Ariminensis, ord. Aug.

Gregorius à Valentia Methymnensis, S. I. Doctor Ingolstadiensis.

Guillelmus Altissiodorensis Doctor Parisiensis.

Guillelmus Aruernus, Episcopus Parisiensis.

Guillelmus Eisengrenius Germanus.

Guillelmus Estius Doctor & Professor Louaniensis & Duacenus.

Guillelmus Lindanus, Dordracenus, Doctor Louaniensis, Episcopus Ruremondanus.

Guillelmus Mercerus Doctor Louaniensis.

Guillelmus Ochamus Anglus ord. F.

Guillelmus Reginaldus Anglus auctor Caluino-Turcismi.

Guillelmus de Rubione ord. F. Prouinciæ Aragoniæ Minister.

Guillelmus Widefordus Anglus, ord.
Guillelmus Worrillon, ord. F.
Hadrianus ex Doctore Louanienſi & Cardinale Dertuſano ſummus Pontifex eius nominis VI.
Henricus Bonicolli, dictus à patria, Gandauenſis Archidiac. Tornacenſ. Doctor ſolemnis appellatus.
Henricus Henriquez Portuenſis Luſitanus, S. I.
Hieronymus Faſolus Neapolitanus, Soc. Ieſu.
Hieronymus de Hangeſto Gallus.
Hieronymus de Medicis à Camerino, ord. Præd.
Iacobus Almainus Senonenſis, Doctor Pariſienſis.
Iacobus Baius Doctor Louanienſis, Michaelis Baij nepos.
Iacobus Dauy Perronius Cardinalis, Archiepiſcopus Senonenſis.
Iacobus Gordonus Hunthlæus Scotus Soc. Ieſu.
Iacobus Gordonus Leſmoræus Aberdonenſis Scotus S. I.
Iacobus Granado Gaditanus, Soc. Ieſu.

Iacobus Gretſerus Marckdorfenſis Germanus, S. I.

Iacobus Gaulterius Annonæenſis, Soc. Ieſu.

Iacobus Hatkerus Ehinganus, Doctor Friburgenſis.

Iacobus Latomus, Doctor Louanienſis.

Iacobus Lainez, Præpoſitus Generalis S. I. Romanorum Pontificum in Concilio Trident. Theologus.

Iacobus Naclantus Clodienſis Epiſcopus.

Iacobus Sirmondus Ricomagenſis, Soc. Ieſu.

Ioannes Alfonſus Curiel Doctor & Canonicus Salmanticenſis.

Ioannes Azor Lorcitanus, S. I.

Ioannes de Bachone Anglus, Carmelita, dictus Doctor reſolutus.

Ioannes Bagotius Redonenſis, S. I.

Ioannes à Bononia Archidiaconus Panormitanus Louanij Theologiæ Profeſſor.

Ioannes Bunderius à Gandauo, ord. Præd.

Ioannes Capreolus Toloſanus, ord. Præd.

Ioannes Cochlæus Germanus.

Ioannes Driedo Turhoultanus Doctor Louanienſis.

Ioannes Duns Scotus, ord. F. Doctor Subtilis.

Ioannes Eckius Germanus, Lutheri debellator acerrimus.

Ioannes Fiſcherus Anglus, Epiſcopus Roffenſis, Cardinalis ſuo ſanguine purpuratus.

Ioannes Gerſon Cancellarius Academiæ Pariſienſis.

Ioannes Gropperus Archidiaconus Colonienſis, quem oblatum Cardinalatum repudiaſſe ferunt.

Ioannes Guimaudus in V. I. Doctor.

Ioannes de Ionghe Belga, S.I.

Ioannes Lenſæus Scotus.

Ioannes de Lugo Hiſpalenſis, S. I. Cardinalis.

Ioan. Malderus Doctor & Profeſſor Louanienſis, Epiſcopus Antuerpienſis: qui vel ſolus omnes Allophylorum acies poteſt euertere.

Ioannes Maldonatus Zafrenſis Hiſpanus, S.I.

Io. Maria Braſichellanus, ord. Præd. ſacri Palatij Magiſter.

Io. Martinez de Ripalda Pompeiopolitanus, S. I.
Ioannes Martinon, Aruernus, S. I.
Ioannes de Medina Hiſpanus, Doctor Complutenſis.
Ioannes Molanus, Doctor Louan.
Ioannes de Neapoli, ord. Præd. Doctor Pariſienſis.
Ioannes Præpoſitus Atrebas, S. I.
Ioannes Puteanus, ord. Aug. Doctor & Profeſſor Toloſanus.
Ioannes de Salas Oxomenſis Hiſpanus, S. I.
Ioannes Viguerius Granat. ord. Præd.
Ioannes Wiggers Dieſtenſis, Doctor Louanienſis.
Ioſephus Auguſtinus Panormitanus, Soc. Ieſu.
Ioſephus Raguſa Siculus, S. I.
Iſaacius Habertus Pariſ. Doctor Sorbonicus, & Epiſcopus Vabrenſis.
Iudocus Clithouæus Neoportuenſis, Doctor Pariſienſis, & Canonicus Carnotenſis.
Iudocus Coccius Bileueldianus, Theologus & Canonicus Iuliacenſis.
Iudocus Rauenſtenius Doctor Lou.

Iulius Syrenius Brixianus, Ordinis S. Hieronymi Professor Theologiæ Bononiensis.
Leonardus Lessius Brechtanus Belga, Soc. Iesu.
Ludouicus Carbo à Costaciario, Professor Perusinus.
Ludouicus Abelly Doctor Parisiensis, & Ecclesiæ S. Iudoci Pastor.
Ludouicus Mæratius Trecensis, S. I.
Luisius Turrianus Complutensis, S. I.
Marcus Antonius Natta Astensis, I. V. D.
Marius Scribonius, Ordinis Recollectorum S. Francisci.
Marsilius ab Inghen primus Heidelbergensis Gymnasij Professor.
Martinus Aspilcueta Nauarrus ord. Canonicorum S. Augustini.
Martinus Becanus Brabantus, Soc. Iesu.
Martinus Bonacina Mediolanensis.
Martinus Rithouius, Doctor Louaniensis, & Episcopus Iprensis.
Matthæus Ori Gallus, ord. Præd.
Melchior Canus ord. Præd. Episcopus Canariensis.
Michael Ayguanus de Bononia, Do-

ctor Parisiensis, Carmelitarum Generalis, olim dictus Incognitus.

Michael Medina, ord. Minorum.

Michael de Palatio Granatensis, Doctor Salmanticensis.

Nicolaus Coëffetæus ord. Præd. Episcopus Massiliensis.

Nicolaus de Niisse, ord. F. Constantiensis in Normania Diœcesis.

Nicolaus de Orbellis, Andegauensis, ord. F.

Nicolaus Ramæus, Soc. Iesu.

Nicolaus Sanderus Theologiæ Prof.

Nicolaus Serarius Ramberuillanus, Soc. Iesu.

Nicolaus Ysambertus Aurelianensis, Doctor & Professor Sorbonicus.

Paulus Cortesius Protonotarius Apostolicus Professor Tubingensis.

Paulus Leonardus Ibernus Manapiensis, Soc. Iesu.

Paulus Soncinas Italus, ord. Præd.

Paulus de Vindeck Colon. Theol.

Petrus de Aliaco, Doctor Paris. Cardinalis & Episcopus Cameracens.

Perrus Arrubal Hispanus, Soc. Iesu.

Petrus Aureolus Aquensis, ord. F. Cardinalis.

Petrus de Cabrera Hiſpanus, ord. Præd.

Petrus Capulleius.

Petrus Cotonus Foreſianus, Soc. I.

Petrus à S. Ioſeph, inſignis Theologus, Congregationis Fulienſis.

Petrus de Ledeſma Hiſpanus, ord. Præd.

Petrus de Palude Burgundus, ord. Præd. Patriarcha Hieroſolymit.

Petrus Sotus Hiſpanus, ord. Præd. Carolo V. Imp. à Confeſſionibus.

Petrus Tartaretus Artium & Theologiæ Doctor.

Petrus Trigoſus Ordinis ſancti Franciſci Capucinorum.

Philippus Faber, Fauentinus, ord. F.

Philippus Moncæus Pariſienſis, S. I.

Philippus Gamachæus Doctor & Profeſſor Sorbonicus.

Radulphus Arch. Armacanus, qui ſcripſit aduerſus errores Armenorum.

Raynerius de Piſis, ord. Præd.

Ricardus de Mediauilla, ord. F.

Robertus Bellarminus Montepolitianus, Soc. I. Cardinalis.

Robertus Holkot Anglus, ord. Præd.

Rode-

Rodericus de Ariaga Lucronensis, Soc. Iesu.

Ruardus Tapper Enchusanus Doctor & Cancellarius Vniuersitatis Louaniensis.

Siluester Mazolinus, Prieras, seu de Prierio Pedemontanus, Magister sacri Palatij, & Generalis Ord. P.

Seuerinus Binius Doctor, & Canonicus Coloniensis.

Stephanus Brulefer Maclouiensis, ord. F. Parisiensis Doctor.

Stanislaus Hosius Episcopus Varmiensis, Cardinalis, & sanctæ Sedis Apostolicæ in Concilio Tridentino Legatus.

Theodorus Peltanus Leodicensis, Soc. Iesu.

Theophilus Raynaudus Cespitellensis, Soc. Iesu.

S. Thomas de Aquino, ord. Præd. Doctor Angelicus.

Thomas ab Argentina, ord. August.

Thomas Brawardinus Anglus, Archiepiscopus Cantuariensis.

Thomas Pius à Ponte Lerinensi.

Thomas Stapletonus Anglus, Doctor Louaniensis.

Thomas Waldensis Anglus, ord. Carmelitarum.

Thomas de Vio Caietanus, Generalis ord. Præd. & Cardinalis.

Valentinus Randoux Doctor Academiæ Duacenæ.

Vldaricus apud Dionysium Carthusianum in summa.

Vincentius Burgundus, ord. Præd. Bellouacensis Episcopus.

Accedant coronidis loco Theses Theologicæ, à Serenissimo Principe ARMANDO BORBONIO *Principe de Conty, in Sorbona propugnatæ, præside illustrissimo D. D.* IOANNE PAVLO DE GONDY, *Archiepiscopo Corinthiaco, Coadiutore Parisiensi, die* 10. *Iulij anni* 1646.

QVÆSTIO THEOLOGICA.

Quando Deus creauit hominem inexterminabilem? Sapientiæ 2.

I.

IN principio, cùm ab illo primus homo in statu innocentiæ conditus est, præter quem statum, & statum

naturæ lapſæ, in quo poſt illius peccatum poſteri eius naſcuntur & viuunt; Tertius, qui ſit puræ naturæ ſtatus, reipſa nullus eſt, non eſt tamen impoſſibilis. Potuit itaq; homo inſtitui ad vltimum finem, qui tantùm naturalis eſſet: potuit, quamuis innocens, naſci cum ignoratione & concupiſcentia, ita vt ignorantia & difficultas eſſent eius primordia naturalia: potuit denique citra peccatum obnoxius eſſe morti, cæteríſque corporis miſeriis. Homini etiam in ſtatu naturæ lapſæ conuenire liberum arbitrium, quatenus indifferentiam ad bonum & malum ſignificat, docent ſacræ litteræ, ſtatuunt Concilia, Tridentinum maximè, confirmant ſancti Patres, ac præſertim S. Auguſtinus; ratio denique multiplex demonſtrat. Hæc libertas ineſt eſſentialiter ſoli potentiæ voluntatis, quæ præter indifferentiam electionis requirit actiuam vim ſe ad vtramlibet partem determinandi. Ei porrò libertati hominis ſola & omnis neceſſitas antecedens repugnat.

II.

Actvalis gratia non est actus ita charitati addictus, vt ab ea Theologica virtute elici aut imperari, vel ad eius exercitium mouere necessariò debeat: Timor enim gehennæ, siue attritio ex eo metu concepta, & amor concupiscentiæ circa Deum sunt honesti actus supernaturales, & ex spiritu gratiæ: non est etiam ex necessitate motio fidei diuinæ, vel diuinam fidem præsupponens: neque enim omnia Infidelium opera sunt peccata; sed exercent ipsi actus honestos, & ex gratia: est igitur actus intellectus & voluntatis, saltem in modo supernaturalis, à Deo per Christum ad salutem concessus. Hæreticos inter meritò computatur Pelagius, qui gratiam Dei per Christum ad salutem esse necessariam negauit. Semipelagiani quoque, qui aliquod salutis initium instar congrui meriti in viribus liberi arbitrij posuerunt: Catholica quippe doctrina atque veritas est, diuinam gratiam, quæ à dono creationis, & à beneficio legis ac doctrinæ distincta sit, ad salutem

& media ſalutis prorſus requiri; Itémque eam gratiam ſic omnia liberi arbitrij opera antecedere, vt in nullâ ipſius vel condigna, vel congrua merita cadere poſſit.

III.

GRATIA ſufficiens in ipſo lapſæ naturæ ſtatu omnibus adultis, etiam ſceleratis, adeóque etiam reprobis hominibus conceditur: Deus enim vult omnes homines ſaluos fieri efficaci voluntate conditionata; & Chriſtus pro omnibus planè mortuus eſt: Deus quoque neminem adultum poſt præuiſum præcisè originis peccatum reprobat; ac tandem nulli rationis compoti diuina mandata ſunt obſeruatu impoſſibilia: Infantes etiam, qui obeunt in maternis vteris, nec vlla humana induſtria poſſunt baptizari, ſufficientia tamen auxilia ſalutis habent. Gratiæ efficacis eſſentia, ſeu formalis ratio non conſiſtit in motione voluntatem phyſicè vel moraliter ad conſenſum prædeterminante; non in ſpeciali motionis congruitate, quæ in ſufficiente gratia locum non habeat: non in ea

motione, prout diuinæ conditionalium ſcientiæ ſubeſt; non in denominatione à conſenſu petita: Eſt ergo ipſa gratiæ entitas prout de facto conſenſum infert tanquam connotatum efficacitate adæquatè ſumptâ poſterius. Inefficax gratia redditur per ſolam creatam voluntatem; At efficax ſimul atque indiuiſibiliter per hanc & per ipſam gratiam.

Cæteræ Theſes ad auguſtiſſimum Euchariſtiæ myſterium pertinent, nec ad rem noſtram faciunt.

EMBOLVM.

Expectamus enimuerò, quos à quingentis annis Eccleſiæ Catholicæ filios in aduerſa acie collocaturi ſint, contra tot eximios Scholaſticæ Theologiæ Doctores, famoſi Ianſenianorum dogmatum propugnatores Libertinus Fromondus, Henricus Calenus, Ioannes Sinnichius, Cornelius Papius, Antonius Arnaldus, Amabilis Burzæus, & ſi qui alij damnatæ iampridem ſectæ mangones deſperatiſſimi.

Nullum profectò Doctorem, Epiſcopum nullum, Concionatorem nullum, Theologum denique nullum

exomnibus, qui Catholici hactenus audierunt, in medium proferre possunt, sed ad Philistinorum castra confugere coguntur, vt Goliathos inde & incircumcisos aliquot, effrænésq; Allophylos educant, qui aduersus inuictas Dei viuentis acies probra iactitent, & indifferentem ad vtrumlibet liberi arbitrij potestatem, gratiæ sufficientis oblatum omnibus hominibus auxilium, mortem à Christo Domino ac Redemptore nostro pro omnibus misericorditer obitam, similiáque Catholicæ Religionis firmamenta suffodere, ac funditùs euertere moliantur.

Verùm, ne quis ex imbelli illo Iansenianorum grege nimium graue sibi à nobis impositum onus conqueratur, age, breuem hîc quoque Catalogum adtexamus eorum hominum, qui à quingentis annis Iansenianarum Hæreseon primi satores progenitorésque extiterunt; vt nepotes posterique auos suos atauósque agnoscant; & cùm opus fuerit, à Catholicis Doctoribus victi prostratique à maiorum suorum infamibus libris opem auxiliúmque efflagitent.

CATALOGVS
HÆRETICORVM
ALIQVOT,
E QVORVM SCRIPTIS
CORNELIVS IANSENIVS
IPRENSIS EPISCOPVS
ERRORVM SVORVM centones consarcinauit glorioso AVGVSTINI *nomine infeliciter abusus: ad simplicium certissimam perniciem.*

ABRAHAMVS Musculus.
Amandus Polonus.
Andreas Osiander.
Andreas Riuetus extorris à patria, Hollandiæ Cymbalum.
Annas Burgius Lutetiæ viuus flammis absumptus.
Antonius Sadeel.
Bernardinus Ochinus.
Carolus Drelincourtius.
Centuriarum Magdeburgens. consarcinatores.

Contraremonſtrantes, ſeu Gomariſtæ.

Daniel Toſſanus.

Daniel Chamierus.

Dauid Chytræus.

Dauid Paræus.

Dordrecthanæ Synodi Patres proſcripti.

Franciſcus Gomarus.

Franciſcus Iunius.

Guillelmus Ameſius.

Guillelmus Witakerus.

Henricus Bullingerus.

Hieronymus Pragenſis, Huſſi diſcipulus.

Hieronymus Zanchius.

Iacobus Capellus.

Iacobus Grynæus.

Iacobus Kimedoncius.

Iacobus Vſſerus Primas Armacanus.

Ioannes Brentius.

Ioannes Caluinus.

Ioannes Huſs Conſtantiæ combuſtus.

Ioannes Oecolampadius.

Ioannes Piſcator.

Ioannes Scharpius.

Ioannes Wiclefus.

Martinus Bucerus.
Martinus Kemnitius.
Martinus Lutherus.
Matthias Flaccius Illyricus.
Monpelgartenſe Colloquium.
Paulus Ferrius Metenſis Miniſter.
Petrus Molinæus Gregis deſertor, & inſtar Caini vagus, inſtabilis, erro.
Petrus Ramus.
Petrus Vermelius Martyr.
Philippus Melanchthon.
Robertus Sariſburienſis.
Simon Simonius.
Theodorus Beza.
Wldricus Zuinglius.
Wolfangus Muſculus.
Zacharias Vrſinus.

Iis adde Miniſtros Embdanos, Haſſiacos, Naſſouio-weterauicos, Britannicos, Palatinos, Heluetios, Geneuenſes, Zuythollandos, Nordhollandos Dordrecthanæ Latrocinalis Synodi Suffragatores, ſimiléſque Religionis Chriſtianæ fœtentes vomicas, & putrida carcinomata, ex quibus peſtilentem doctrinam hauſit Hollandus ipſe, atque inter Hollandos hæreticos enutritus à puero

Cornelius Ianſenius; adeò verum eſt illud Poetæ pronuntiatum libri primi epiſtolâ primâ.

Quo ſemel eſt imbuta recens ſeruabit odorem
Teſta diu:

Ad quem locum alludens S. Hieronymus ad Lætam de inſtitutione filiæ hæc habet: *Difficulter eraditur, quod rudes animi perbiberunt: conchylia quis in priſtinum candorem reuocet? recens teſta diu & ſaporem retinet & odorem, quo primùm imbuta eſt.*

Inde verò argumentum atque occaſionem ſumpſiſſe videtur quiſquis ingenio non vulgari præditus Demonſtrationem pro neceſſitate aduerſus indifferentiam libertatis ex variis anagrammatis contextam, typíſque editam, ab aliquot menſibus publicam emiſit in lucem.

CORNELII IANSENII BATAVI DEMONSTRATIO

Pro necessitate contra indifferentiam libertatis.

QVANTA sit necessitas, quámque ineluctabilis prædestinatio Dei in omnem partem, si quis nondum satis credat Augustino illi, qui totus meus est, me videat, & exemplo addiscat meo, libertatem esse sine potestate vtriusque partis, sed absolutâ necessitate fieri omnia, quæ contingere videntur oculis imperitis: Ego Leerdami apud Batauos vix in tugurio paterno eiulantis ex vtero matris eiectus fueram in terram, quando sacris ablutus vndis cum nomine accepi fatum, flexiloquis enim litteris CORNELIVS IANSENIVS oraculum de cælo editum est, ERIS IOANNES CALVINVS. aut si gentis

Additur A

nomen additur, BATAVVSque dicor, ERIS BONVS, ET NAVVS CALVINISTA. Additur T.


Tentaui fatale decretum eluctari, cùm primùm nouiſſe potui, dedi operam ſtudiis, & quidem ſacris, ſcholas frequentaui, vt ſenſum famámque hæretici amolirer, ſed in errores ſemper RVO INANIS SENSV CÆLI. Ein A mutatur.


Conuerti me ad Magiſtros fidei noſtræ ſanctos illos Patres S. Spiritus interpretes, annon CONSENVI IN S. AVRELIO Auguſtino, & ecce cogentibus fatis non Auguſtinus, ſed CALVINVS IN ORE SENIS. aut quod conuenientiſſimum, mihique aptiſſimum iudicarunt eruditi omnes, CALVINI SENSVS IN ORE. vel, ENSIS mihi IN ORE CALVINVS. S in O Nihil additur aut mutatur.

Quàm benè perditam operam dixit ille, qui poſt euolutos meos operoſos commentarios exclamauit, SANE NIL VERI NOVI SCIS. Additur I

Cùm fatalis illius neceſſitatis, quâ Caluino addicor, cauſas mente inquirerem, ſtatim admonuit me

fatum, & vellens aurem dixit, NON-
S mutatur in O NE AVRELII Sancti Sigyrani Ab-
batis, vt in vita sic in morte infe-
lici, SOCIVS eris? O fatum! ô in-
differentiæ vanum figmentum!





TRIVMPHVS CATHOLICÆ VERITATIS, ADVERSVS NOVATORES.

PARS SEXTA.

IANSENIVS DAMNATVS A RELIGIOSIS ORDINIBVS.

§. I.

Religiosi Ordinis S. Francisci Michaelem Baium primi oppugnant in Belgio, eiúsque atque Ianseniј, & Iansenianorum dogmatum damnationem procurant.

ANNO Domini 1560. F. Petrus de Quercu Guardianus Niuel-


lensis, & Fr. Ægidius de Querceto, Guardianus Athiensis, ad Parisiensis Theologiæ sacratissimam Facultatem octodecim propositiones ex Michaelis Baij libris scriptísque collectas miserunt, quæ post maturam deliberationem Doctorum proscriptæ ac damnatæ sunt die Iouis 27. mensis Iunij eiusdem anni, tanquam HÆRETICÆ, *falsæ, erroneæ, Morali Philosophiæ aduersæ, includentes contradictionem, perniciosæ, repugnantes sacræ Scripturæ, & Beatæ Mariæ Virgini Dei Genitrici, & Sanctis iniuriosæ.* Vide suprà §. 2. Partis IV. Triumphi Catholicæ Veritatis aduersus Nouatores, à pagina 134. ad 141. vbi Censuræ Parisiensis verba ipsa ex Chartophylacio Vniuersitatis descripta in medium produximus.

Neque verò Parisios tantùm Franciscani Ord. præstantes Theologi, atque Antiqui DD. Scholasticorum Doctrinæ retinentissimi, scripserunt ad Baiani dogmatis censuras proscriptionésque eliciendas; sed in Hispaniam quoque, atque adeò in Italiam, & ad summum Ecclesiæ Catholi-

tholi-

tholicæ Pontificem Romanum, litteras dederunt; vt Catholicos omnes aduersus repullulantes Wiclefi Lutherique hæreses armarent. Testis est ipsemet Michael Baius in litteris, quarum fragmentum hoc acceptum referimus ipsis Iansenianæ factionis proceribus.

Fratres Minores in Prouincia Flandriæ, qui nobis nihil tale suspicantibus libellos nostros allegabant, & improbabant, ad Confratres Hispanos recurrerunt, per quos primùm praiudicia, deinde post multam & longam sollicitationem etiam Pij IV. tempore incæptam, tandem à sanctißimo D. N. Pio V. obtinuerunt Bullam datam Kal. Octobris 1567. *in qua damnantur* 76. *aliàs* 79. *sententiæ.*



§. II.

DECRETVM CAPITVLI Generalis RR. PP. Capucinorum Ordinis S. Francisci, celebrati Romæ die 25. Iunij anno 1650.

Aduersus doctrinam CORNELII IANSENII, *Iprensis Episcopi, in Libro, qui dicitur* AVGVSTINVS.

REVERENTIAM & obedientiam Sedi Apostolicæ in omni occurrentia profiteamur, inhærentes Constitutionibus, & Decretis Vrbani VIII. fel. record. & SS. Domini Innocentij X. Mandamus nostris omnibus, maximè Lectoribus & Concionatoribus, vt doctrinam in Libro Iansenij Iprensis Episcopi, cui titulus est AVGVSTINVS, traditam, à sancta Sede Apostolica damnatam & circumscriptam, tueri ac docere

non præſumant. Qui ſecùs fecerint, præter pœnas in ipſis Conſtitutionibus Apoſtolicis inflictas, ſi ſint Superiores, Officio ſuo, ſi Lectores, facultate legendi, ſi Prædicatores, concionandi poteſtate priuentur, & aliis pœnis ſubiaceant arbitrio Superiorum infligendis. Datum Romæ die 25. Iunij 1650.

Fr. Fortvnatvs Miniſter Generalis.

Fr. Marcus Antonius, Procurator Generalis.

Fr. Simplicianus à Mediolano, Deffinitor Generalis.

Fr. Carolus Bruxellenſis, Deffinitor Generalis.

Fr. Ludouicus à Roſenhaim, Deffinitor Generalis.

Fr. Ioannes à Montecalerio, Deffinitor Generalis.

Fr. Bonauentura Tholoſas, Deffinitor Generalis.

Supradictum Decretum Ego Fr. Matthias à Saledio, Concionator Capucinus, & Socius Adm. R. P. Procuratoris Generalis, à publicis Archiuij noſtræ Religio-

nis Libris fideliter exemplaui, & cum suo originali atteſtor in omnibus concordare. De mandato dicti Procuratoris, & in fide me ſubſcripſi, & ſigillo Procuratoris muniui.

Locus Sigilli.

F. MATTHIAS A SALEDIO.

---

§. III.

Religioſi Congregationis Fulienſis, Ordinis Ciſtercienſis, S. Bernardi ſummæ erga S. Sedem Apoſtolicam obedientiæ imitatores diligentiſſimi, Ianſenianam doctrinam prohibuerunt in Comitiis generalibus.

Ex Definitionibus Capituli Generalis Congregationis Fulienſis, in Monaſterio S. Bernardi Pariſienſis habiti anno ſalutis 1646.


DEFINITVM eſt, prohiberi quibuſlibet Congregationis Fratribus docere, prædicare, aut defen-

dere doctrinam nuper introductam Ianſenij, & aliorum huiuſmodi, quæ turbarum ac rixarum occaſio eſſe poteſt.

Ex Decretis Capituli Generalis eiuſdem Congregationis celebrati in Monaſterio Cellenſi anno 1649.

DECRETVM eſt, quod Procurator Generalis quamprimùm Romam acceſſerit, Bullas Vrbani VIII. & Innocentij X. contra Ianſenium editas, mittet ad omnia Congregationis Monaſteria, vt in iis publicentur, & ab omnibus obſeruentur.

DECRETVM eſt, prohiberi quibuſlibet Congregationis Fratribus docere, prædicare, aut defendere doctrinam nuper introductam Ianſenij, & aliorum huiuſmodi, quæ turbarum ac rixarum occaſio eſſe poteſt.



§. IV.

RR. PP. Carmelitæ Discalceati Cornelij Ianseny doctrinam magnas in Ecclesia turbas excitare profitentur; & Lectores, Concionatores ac Confessarios, qui eam sustineant, doceant, aut approbent, amoueri iubent ab officiis suis, &c.

IESVS MARIA.

Ex Actis Capituli Prouincialis celebrati die 24. April. anno 1646. in Conuentu S. Mariæ de Monte Carmelo, seu Carentonensi, & alterius Capituli Prouincialis ibidem celebrati die 23. Aprilis anno 1649. in quo confirmatum est sequens Decretum in hæc verba.

PROPOSITVM fuit vtrùm confirmanda sit nona ordinatio Capituli Prouincialis præteriti, in qua quæritur, vtrùm prohibendum sit

Religiosis nostris, tam Superioribus, quàm subditis, ne doctrinam Cornelij Iansenij Iprensis Episcopi, & similium, magnas in Ecclesia turbas excitantem, verbi gratiâ, quòd Christus pro omnibus non sit mortuus; quod actiones infidelium sint peccata; quòd Deus nolit omnes saluos fieri, & alia huiusmodi sustineant, doceant, aut approbent. Si verò Lectores, Concionatores, aut Confessarij è nostris, contrà faciant, amoueantur ab officiis suis; alij verò puniantur arbitrio Definitorij Prouincialis. Responsum est affirmatiuè cum triginta duobus ex triginta tribus suffragiis.

---

§. V.

RR. PP. Ordinis Minimorum S. Francisci de Paula, aduersus Cornelij Iansenij perniciosam doctrinam seuerè edixerunt in Comitiis Prouincialibus.

EDICTI seu Decreti illius verba cùm nondum ex Archiuis Ordi-

nis illius, non minùs fide Catholicâ, quàm charitate Christianâ feruentissimi, descripta, & Superiorum permissu communicata nancisci licuerit, Editioni secundæ reseruabuntur, vt & nonnulla alia: aut inter Appendices, si interim ad nostras manus peruenerint, collocabuntur.

---


§. VI.

Reuerendi Patres Benedictini Congregationis S. Mauri in Gallia, in Comitiis suis generalibus aduersus Cornelij Iansenij perniciosam doctrinam seuerè edixerunt.

INTER cætera sub grauissimarum pœnarum interminatione sancitum est, vt omnes Theologiæ Professores Congregationis S. Mauri in Gallia, Gratiam sufficientem, quæque ei adnexa sunt, imposterùm profiteantur ac doceant; néve ad peregrina dogmata, neglectâ Catholicorum Doctorum Regia via, temerè deflectant. Quo sanè Decreto sapien-

tiſſimè cautum eſt, ne pernicioſa Ianſenianæ hæreſeos labes, quæ petulantia quorumdam Belgarum ingenia infecit, in Gallia ſerperet latiùs, & ſanam doctrinam adulteraret. Neque enim fieri poteſt, vt Ianſeniſmi ſectator ſit, qui gratiam ſufficientem, quam cane peius & angue oderunt Lutherani, Caluiniani, Ianſeniani omnes, cogatur admittere, & quæ ex eius aſſertione neceſſariò conſequuntur, propugnare.

Sunt etiam plures tum Regularium, tum ſæcularium Sacerdotum, & Eccleſiaſticorum cœtus Congregationéſque, quæ damnatam à Romanis Pontificibus proſcriptam atque abolitam Ianſenij doctrinam damnarunt quoque, proſcripſerunt, & à ſuis finibus fortiter propulſarunt: de quibus plura aliàs, ſi Deus annuerit.



PROPOSITIONES CORNELII IANSENII ET IANSENIANORVM DAMNATÆ

A CONCILIIS, SVMMIS Pontificibus, Præsulibus, Vniuersitatibus, Doctoribus Catholicis, atque Ordinibus Religiosis,

Vt HÆRETICÆ, ERRONEÆ, *suspectæ, temerariæ, scandalosæ, in pias aures offensionem immittentes, perniciosæ, repugnantes sacræ Scripturæ, &c.*

Ad duodecim capita reuocatæ.

DOCTORES *Theologi Parisienses anno* 1523. *collectas ex pluribus Martini Lutheri opusculis sententias* 104. *sub vnum aspectum exhibuere Catholicis Lectoribus ad certa capita reductas. Nos eorum prementes vestigia sparsas hinc inde Ianseniani Pseudo-Augustini Propositiones à Conciliis, Pontificibus, Præsulibus, Vniuersitatibus, Doctoribúsque damnatas, atque ad duodecim capita conuenientissimo ordine reuocatas repræsentabimus, vt omnes breui compendio intelligant, tum quis nexus sit vniuersæ Iansenij doctrinæ, quæ principia, quæ firmamenta, quæ consectaria, tum quàm germana sit effigies Lutheranæ Caluinisticæque audaciæ nostro æuo decem abhinc annis inter Catholicos sub Augustini larua demùm ab inferis excitatæ, tum denique vt omnibus liquidò innotescat quàm verum sit quod dixit S. Hieronymus in epistola ad Ctesiphontem:* Sententias Hæreticorum prodidisse, superasse est.



I. De libero arbitrio.
II. De Præceptis divinis, et ignorantia.
III. De gratia sufficiente, cooperatione et merito.
IV. De voluntate Dei salvandi omnes.
V. De morte et oratione Christi pro reprobis.
VI. De operibus infidelium, et amore concupiscentiæ.
VII. De attritione et timore Dei.
VIII. De lege Mosaica.
IX. De transfusione peccati originalis.
X. De reprobatione et damnatione.
XI. De statu naturæ puræ et integræ.
XII. De Philosophia et Scholastica Theologia.

§. I.
De Libero Arbitrio.

I.

Tomo 3. libro 6. de gratia Christi capp. 6. 9. 10. & passim alibi præsertim lib. 7. cap. 3. 4. &c.

DOCTRINA Augustini est: necessitatem illam primam, quæ est quædam vis aut violentia, aut coactio capitaliter repugnare libertati, eámque funditùs perimere; non autem illam necessitatem, quæ est simul voluntaria, quâ scilicet simpliciter necesse est aliquid fieri, non repugnante, sed immutabiliter volente voluntate. Mira videbitur Scholasticis ista doctrina, & tamen in Augustini principiis est indubitata.

Consentaneum est omnem omninò voluntatem, quantumcumque ad vnum determinatam, nullâ tali necessitate, quâ dicitur necesse esse vt velit, desinere esse liberam, quia non desinit esse voluntas, quæ non esset, si nollemus.

Sicut libertas esse non potest sine voluntate, ita nec voluntas vlla sine arbitrij libertate.

Sola neceſſitas illa violenta, ſub qua arbitrium premitur atque cogitur, ſeu neceſſitas coactionis libertati arbitrij aduerſatur, non autem determinatio ad vnum.

Sola neceſſitas coactionis adimit libertatem, non neceſſitas ſimplex & voluntaria.

Enormiter aberrant illi, qui vt probent ad libertatem arbitrij requiri indifferentiam, & abeſſe debere neceſſitatem, &c.

II.

AVGVSTINVM ſentire & conſtanter docere diximus libertati arbitrij ſolam neceſſitatem coactionis, ſeu quæ, etſi nolumus, efficit id quod poteſt, eſſe contrariam, omnémque actum voluntarium, ſeu ſpontaneum hoc ipſo eſſe liberum. Tom.3.l.7. cap.3.4.&c.

Cùm id ſit maximè liberum Auguſtino quod minimè coactum, ſeu vi neceſſitatis extortum eſt, neceſſe eſt motum in finem eſſe maximè liberum, quia maximâ voluntate, minimâ neceſſitate prouocatum.

Hoc eſt Auguſtino liberum quod voluntarium, quod non neceſſitate

coactionis extortum, &c.

Quicumque aliam libertatem arbitrij (qualis præſertim poſt Magiſtri ſententiarum tempora ſub nomine libertatis defendi cœpit) in Auguſtini ſcriptis quærit, oleum, & operam perdet, &c.

III.

Tom. 3. lib. 6. cap. 5.

LIBERA eſt voluntas, hoc eſt, volitio, ratione ſui, quia eſt eſſentialiter libera. Implicat enim contradictionem, vt voluntas non ſit libera, ſicut implicat vt volendo non velimus, &c. ipſa volitio per ſe eſt libera, quia ipſa per ſe fit quando volumus.

Apud Auguſtinum eſſe liberum arbitrium, & eſſe aliquam hominis vel Angeli voluntatem, ſeu volitionem pro iiſdem prorſus vſurpantur.

Voluntas ſeu volitio & libera voluntas idem ſunt, ſicut velle, & liberè velle, & impoſſibile eſt vt velle non ſit liberum.

Auguſtini diſputatio contra Ciceronem, friuola & inanis eſt, ſi voluntas eſſe poſſit quæ non ſit libera.

IV.

NVLLA gratiæ efficacia, nulla neceſ-

cessitas actibus nostris liberis formidanda est, sed sola vis coactionis, & necessitas violentiæ. Reliquam verò, quamcumque & quantamcumque necessitatem cur timemus, ne nobis libertatem auferat voluntatis?

V.

Certissimum est non venisse veteribus in mentem, vt libertatem Dei, quâ peccare, & iniustus esse, & seipsum negare non potest, in eo ponerent, quod potest hoc vel illud bonum facere, vt recentiores (Doctores omnes Catholicos intelligit, Wiclefi, Lutheri, & Caluini aduersarios) putant; sed in hoc ipso, quod liberrimè, quamuis necessariò iustitiam bonitatémque suam diligit. Tom. 3. lib. 6. cap. 7. sub fin.

Item libro 4. cap. similiter septimo indifferentiam μορμολύκιον per contemptum, Pharisaïcámque superbiam appellauerat, inter eos (Catholicos DD. intelligit) tam decantatum, quòd alioquin libertas arbitrij destruatur, docétq; velut inane ludibrium ab intuentium consideratione disparere.

VI.

Recentiores (Scholasticos Do- Tom. 3. lib.

6. cap. 4. 8. &c. ctores intelligit, qui contra Lutherum, Caluinum, alióſque Hæreticos Eccleſiæ Catholicæ doctrinam propugnarunt) imaginantur illum tantummodò actum eſſe in noſtra poteſtate, hoc eſt, in libero noſtræ voluntatis arbitrio, & illius nos tantùm eſſe dominos, quem pro libitu noſtro, poſitis omnibus ad agendum neceſſariis, poſſumus facere & non facere. Qua in re ſine dubitatione falluntur.

Scholaſtici non mediocriter hallucinantur: arbitrantur enim liberum arbitrium idcircò liberum in beata vita futurum, quia erit indifferens, vt hoc bonum eligat vel non eligat, vel etiam eligat hoc vel illud. Auguſtini verba in ſenſus à ſe præoccupatos, quamuis alieniſſimos ab eius mente detorquent. Cùm enim ipſi nullam ſuſpicari poſſint libertatem arbitrij niſi ſemper hæſitantem, & quaſi in biuio fluctuantem, vt eligat vel non eligat, eligat hoc vel illud, putant & Auguſtinum cùm liberum arbitrium nominat, de ſimili ſemper indifferentia loqui. Quo ſa-

nè nihil abſurdius dici poteſt.

VII.

ORIGENES omnibus numeris abſolutam tradit, inamiſſibilem, & quaſi eſſentialem in omni ſtatu liberi arbitrij indifferentiam, quæ alterius partis neceſſitatem excludat. Hæc eſt autem totius Pelagianæ ſtructuræ baſis præcipua. Scriptores verò Origenis & Auguſtini ætatem interiecti plerique Semipelagianâ labe infecti fuerunt, quam in Oriente ab ipſo Origene traxerunt, præcipuè Græci.

Tom. 1. de hæreſi Pelagiana, & alibi millies id inculcat.

VIII.

PARADOXVM in Auguſtini doctrina inauditum, quòd actus aliquis voluntatis propterea liber ſit, quia ab illo deſiſtere voluntas & non agere poteſt, cùm potiùs diametraliter è contrario ſemper ab eo propterea libertas alicuius actus aſſeratur, quia voluntas eam agere poteſt. Ex quo fit, vt in nullis eius libris (contra Pelagianos) vel ſemel inueniri queat vnus textus, vel veſtigium opinionis iſtius, quòd idcircò voluntas ſub gratia, quæ facit eam facere, maneat libera, quia ceſſare poteſt; ſed potiùs

Tom. 3. lib. 6. cap. 8. ſub fin.

conſpirant omnia, idcircò eſſe liberam, quia gratia voluntatem nihil agentem potentiſſimè velle, & operari facit, &c.

Ab illa valdè remotum eſt illud indifferentiæ Philoſophicæ æquilibrium, iuxta quod tantò fit liberior voluntas, quantò magis ſub gratia ceſſare, vel aliud, quàm gratia inſtigat, facere poteſt. Vnde nihil mirum ſi iuxta horum (Catholicorum DD. Hæreticis obnixè reſiſtentium) ſententiam gratia cùm in ſummo fuerit, qualis eſt beatorum, indifferentem libertatem directè deſtruat; iuxta Auguſtinum verò directè aſtruat. Quæ duo, quemadmodum tantùm à ſe diſcrepant, quantum Arcticus polus ab Antarctico; ita ratio libertatis, quam Auguſtinus docet, à recentiorum (Romanorum Pontif. Pij V. Gregorij XIII. Patrum Conciliorum Senonenſis & Tridentini, & Doctorum Catholicorum) libertate diſſentit.

Nec eſt vlla vmbra in omnibus ſcriptis eius quòd libertatem in eo maiorem fieri velit, quòd voluntas poſſit

eligere vel non eligere, hoc eligere vel illud bonum.

IX.

Si non eſt alia libertas vera voluntatis quàm agendi & non agendi, ſeu faciendi & abſtinendi ab eo quod facis, grauiſſima abſurda euitari nequeunt, quibus non ſolùm tota doctrina S. Auguſtini funditùs concutitur, ſed etiam ſenſus Chriſtianæ pietatis læditur, &c. Tom. 3. lib. 7. cap. 14.

Sequitur operationem gratiæ diametraliter repugnare PHILOSOPHICÆ LIBERTATI, ſeu indifferentiæ libertatis; quia illam extrahit ab indifferentia agendi, eámque determinatè facit agere vel non agere, velle vel non velle.

Sequitur multo magis omnem concupiſcentiæ motum ſimiliter directam habere repugnantiam cum libertate: repugnat enim è diametro indifferentiæ voluntatis ipſo motu libidinis in alteram partem, inſtar æquilibrij cui pondus additur, impellitur: lex peccati animum non verbis, ſed periculoſiſſimis motibus iubet, & quodammodo cogit vt pec-

cet: sequitur omnes habitus & consuetudines animi, siue bonas, siue malas directè repugnare libertati, &c.

X.

Tom.3. lib. 7. cap. 14. NVNQVAM animus liberior est libertate, quâ liberum arbitrium dicitur, quæ contra Pelagianos ab Augustino defensa est, quàm cum perfectissimæ charitatis, vel iniquitatis habitu firmatus fuerit, & liber metu flagrantissimis delectationibus & desideriis habitum sequi solitis fertur in bonum aut malum.

Capite 15. docet beatos in omnibus actionibus & omissionibus agendi & non agendi libertate destitui, ad agendum esse adstrictos, ad non agendum non liberos, &c.

Consule libri sexti cap. 7. 8. 9. &c.

XI.

Tom.3. lib. 7. cap. 2. Dæmones, qui amissâ irreparabiliter benè volendi, & benè faciendi potestate, solius mali potestatem & libertatem habent, sunt perfectissimè liberi à iustitia, seruíque peccati: amiserunt penitùs libertatem ad bo-

num, retentâ tamen perfectiſſimè libertate ad malum.

Vtrumque caput illius libertatis, ſiue retentæ ſiue perditæ, perſpicuum eſt, dum & peccandi libertatem ſpiritibus damnatis tribuit, & benefaciendi negat.

XII.

NEMO animo amplectitur aliquid quod eum non delectet, (decies minimum inculcata ſententia) & niſi delectet, voluntas moueri nullo pacto poteſt. Ex eadem enim radice naſcitur vt in conflictu delectationum non aliud animo amplecti, nec ad aliud amandum ſequendúmque moueri poſſit, niſi quòd vehementiùs delectauerit. Tom. 3. lib. 4. capp. 7. & 9.

Quod ampliùs nos delectat ſecundum id operemur neceſſe eſt; nimirum quia id quod ampliùs nos delectat, etiam ampliùs velimus ac diligamus neceſſe eſt, tantò enim quidque, &c.

Quia naturali ordine ex delectatione dilectio, ex dilectione operatio conſequitur.

Quod ſanè reſpectu cuiuſlibet ope-

rationis locum habet. Vnde etiam in peccatis eadem necessitas delectationis ad volendum, ac maioris delectationis ad superandam oppositam delectationem reperitur.

Quod ex ipso certamine delectationum oppositarum, in quo vehementior superat, manifestum est.

XIII.

Tom. 3. lib. 7. cap. 10.

Cvm arbitrio in vtramque partem libero & flexibili conditus est primus homo: sed ex spontanea in vtramque partem æquabilis libertatis indifferentia, velut bilancis æquilibrium periit. Magno enim impetu, &c.

Non in eo libertas arbitrij sita est, vt vtrumque genus actuum bonorum malorúmque possit æqualiter, sed vt in quoscumque actus potestatem habeat, siue in bonos, siue in malos, in illos liberâ feratur voluntate.

XIV.

Tom. 3. lib. 3. cap. 16.

Ex isto liberæ voluntatis arbitrio nascebatur, vt actiones Adami, siue in bonum, siue in malum, ex liberrimo nutu & flexu eius proficiscerentur, vtpote quas neque gratia, neque concupiscentia, quæ necdum

erat exorta, libero voluntatis arbitrio donaret, ſed ipſum arbitrium ſibi. Nam iſta gratia non donabat actus voluntati. Erat enim adiutorium conſentaneum tantæ libertati, non quo fieret vt vellet, ſed ſine quo velle non poterat. Et hinc eſt quod tale arbitriũ ſubinde antonomaſticè liberum, & actio eius libera vocari ſolet. Hinc etiam proficiſcebatur, vt actiones eius ſiue bonæ, ſiue malæ, propriiſſimè merita dicerentur, & quòd eis reddebatur merces meriti; vt pote quæ purè ex libera voluntate ſponte ſurgeret, &c. Contrarium nunc omninò vſuuenit, omnia peccata nunc ſunt. ſupplicia præcedentium, quia non ex illa plena libertate, ſed ex animi quadam pœnali cæcitate & infirmitate naſcuntur, cum quibus in hunc mundum proiecti ſumus.

Solius primi hominis peccatum voluntarium fuit: cæterorum peccata ſiue actualia, ſiue originalia, peccata ſunt, quia ex origine illius liberæ & propriè dictæ voluntatis Adami nata & profecta ſunt.

Niſi voluntas à concupiſcentiæ ſer-

uitute liberata ſit, motus voluntatis quo ſeruitur concupiſcentiæ, nec libera voluntas, imò nec voluntas eſt.

XV.

Tom. 3. lib. 4. de gratia Chriſti capp. 9. & 10.

PECCATVM primi hominis ſine delectatione præcedente perpetratum eſt. At voluntas per peccatum primi hominis in libidinum imperium præcipitata eſt, ex quibus fit, vt in omnibus actionibus ante gratiam delectatione quadam libidinoſâ præeunte ac titillante, prouocetur, cui conſentiendo peccat.

In homine lapſo ante gratiam non eſt ampliùs illa primæua flexibilitas, quâ bene velle poſſit & malè. Peccando inducta eſt ſeruitus. Hoc vitium eſt inhærens medullis voluntatis quædam libido fruendæ creaturæ, quaſi veſtigium quoddam primæ dilectionis, quâ creatorem deſerendo & creaturam amplectendo peccauit.

Hæc libido ad ſingulas occaſiones per omnia peccatorum genera, concitatis motibus delectationum ſuarum, voluntatem premit, nec eam

finit ad redamandum bonum ſurgere quod amiſit.

XVI.

CAPTIVITAS arbitrij in eo ſita eſt, quòd voluntas concupiſcentiæ terrenæ viſco intimè penetrata, ſemper & in omni actu motibus eius feratur & referatur, imperio eius & ponderi indeſinenter ſeruiens eodem planè modo, quo voluntas beatorum in omnibus omninò motibus ſeruit diuinæ caritati. Tom. 3. libro primo cap. 4.

XVII.

NATVRA humana peccato primi hominis ita violata eſt, & arbitrium voluntatis ſub terrenarum rerum cupiditate depreſſum, vt libertas ad faciendum bonum, & ad abſtinendum à malo interierit, & loco libertatis peccandi neceſſitas conſecuta ſit. Tom. 2. libro 4. de ſtatu naturæ lapſæ cap. 18.

Diximus ita peccato periiſſe libertatem arbitrij ad faciendum bonum, vt ante gratiam, &c. ita periiſſe libertatem abſtinendi à peccato, vt nec in vllo quidem opere omnis peccati culpam poſſit effugere: ita inductam eſſe peccandi neceſſitatem, vt in omni actu, quo legem ſibi videtur vel

ſeruare, vel tranſgredi, reus alicuius peccati teneatur.

Deperditâ boni faciendi, malíque vitandi libertate, inducta eſt conſequenter peccandi neceſſitas.

Non eſt liberum à peccando abſtinere, ſed quocumque ſe verterit, hic & nunc in ſingulis actibus quadam inſolubili peccandi neceſſitate teneatur.

XVIII.

Tom. 2. libro 4. de ſtatu naturæ lapſæ, cap. 20.

AVGVSTINVS expreſſis verbis ſæpiùs docet nunc non eſſe liberum abſtinere à peccato, imò peccata nunc non committi voluntate, ſed neceſſitate.

Quare primus homo per illam neceſſitatem magis fuiſſet excuſatus quàm poſteri eius, ſi talis peccandi neceſſitas indifferentiam exercitij non excludit?

---

§. II.
De præceptis diuinis, & ignorantia.

XIX.

Tom. 3. lib. 3. cap. 13.

INFERTVR primùm: eſſe quædam homini præcepta, ſecundum ſta-

tum & vires, in quibus constitutus est, impossibilia.

Secundùm, non adesse gratiam, quâ possimus, hoc est, quâ eadem præcepta implere sufficiamus. Si enim iam adest gratia, quâ præcepta implere sufficientes simus, & possimus, stultum est orando satagere vt possimus.

Tertiùm, hanc impotentiam reperiri non solùm in excæcatis, obduratis & infidelibus, sed etiam in fidelibus & iustis, qui & fidem Christi & charitatem iustitiæ suſceperunt.

Quartùm, hanc impossibilitatem fidelibus accidere non tantùm quando nolunt præcepta facere, sed etiam quando volunt. Perspicuum est enim eos qui Deum pro impetranda gratia deprecantur vt valeant facere quod iubetur, iam habere præcepti implendi voluntatem, sed deesse potestatem.

XX.

ILLVM Apostoli locum 1. Cor. 10. quo dicit, *Fidelem Deum esse, qui non patitur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione* Eodem capite 13.

prouentum, vt poßitis ſuſtinere, nullo modo tam indiſcretè intelligi, vt hoc in omnibus omninò fidelibus obſeruetur, ſed tantùm orantibus, ac de diuino adiutorio, ſicut oportet, confidentibus, adeóque ferè electis.

Sicut non omnibus tribuitur, vt non inducantur in tentationem, ita non omnibus datur, vt non tententur ſupra id quod poſſunt.

Qui credunt Deo, & iam iuſtificati ſunt, etiam volentes conantéſque multa Chriſtianæ diſciplinæ præcepta implere non poſſunt.

XXI.

Eodem capite 13.

ESSE præcepta quædam, quæ hominibus non tantùm infidelibus, excæcatis, obduratis, ſed fidelibus quoque & iuſtis, volentibus, conantibus ſecundum præſentes, quas habent vires, impoſſibilia: deeſſe quoque gratiam, quâ fiant poſſibilia.

Multos quotidie tentari vltra quàm poſſint ſuſtinere: nec illam implendi talia præcepta difficultatem inde proficiſci, quòd actus implendi debeat eſſe ſupernaturalis vel meritorius, vel aliquid ſimile, ſed ex eo

quod vires voluntatis infirmæ sunt propter concupiscentiam à volendo bono retrahentem.

Sanctus Petrus, quamuis & fidelis esset & bonus, gratiâ desertus implere non potuit quod se velle sentiebat.

Non enim exigua quorumdam allucinatio est, quâ putant semper adesse homini gratiam vt petat, vt infallibiliter impetret id quod petit: non omnibus gratiam vel feruenter petendi, vel omninò petendi Deus largitur, &c. Ex quibus conficitur non aliter verum esse quòd Deus non iubeat impossibilia, nisi quia quæcumque iubet hominis voluntate per omnipotentem gratiam Dei adiutâ fieri possunt.

XXII.

Devs neminem deserit ab eo discedendo ipsâ scilicet subtractione iustitiæ (hoc est gratiæ habitualis) nisi homo priùs per inobedientiam deserat, &c. nam si desertionem Dei, quæ fit actualis gratiæ subtractione, spectare voluerimus, nimis enormiter ab Augustini mente discedunt, Tom. 3. l. 3. cap. 19.

qui ei iſtud paradoxum, & quidem poſtquàm poſt Adami lapſum in ſtatum damnationis, & iræ Dei præcipitati ſumus, imponere volunt, &c.

Nihil celebrius in Auguſtino, quàm quoſdam à diuino adiutorio deſeri, etiam iuſtos, ex occultis iudiciis Dei. Nam ad quid fideles omnes tantâ inſtantiâ orant Deum, ne inferantur in tentationem, hoc eſt, ne deſerantur adiutorio eius, ſi nemini iuſto accidit, vt Dei adiutorio deſeratur? Nihil abſurdi eſt, ſi talis gratia ſufficiens non detur iuſtis, ſed potiùs perquàm abſurdum eſt ſi omnibus detur.

XXIII.

Tom. 3. lib. 3. cap. 14. FIERI poteſt, vt aliquis gratiâ careat, ſine qua præceptum implere non poſſit, & tamen peccatum non ſolùm in cauſa, hoc eſt, in neglectu contemptúque gratiæ, ſed etiam peccatum propriè dictum, & veri nominis perpetret.

De ſimilibus adiutorio Dei deſtitutis non eſſe iniquitatem apud Deum qui gratiam negat: culpam enim peccantium ita meruiſſe (in Adamo ſcilicet) vt æquiſſimâ iſtâ ſeueritate

ueritate puniatur. Cui ſolutio iſta diſplicet, alium quærat exitum, ſed caueat præcipitium.

XXIV.

NVLLA tentatio aut cupiditas ſine peccato oppugnatur, ſeu vincitur ſine amore Dei. Tom. 2. de ſtatu naturæ lapſæ, cap. 21.

Auguſtinus docet nullam tentationem poſſe ſuperari, nulli cupiditati repugnari, niſi charitate iuſtitiæ veraque dilectione Dei: quia alioquin tentatio, non niſi alia tentatione pellitur, neque cupiditas, niſi alia noua perinde mala, etſi paullò honeſtiore coram hominibus cupiditate ſuperatur.

Non cauſam illam, quam recentiores (Catholicos omnes hîc, vt alibi ſemper, ſugillat infelix Hæreticorum patronus) imaginantur, quia alioquin illa ſuperatio non eſt ſupernaturalis, non eſt meritoria, non conducit ad vitam æternam & huiuſmodi, quibus præſtigiis Auguſtini doctrina deprauata eſt.

Cùm autem nihil peccare videtur occultiùs peccat, & fortaſſe periculoſiùs per ſuperbiam vitia craſſiora ſuperando.

XXV.

Tom. 2. de ſtatu naturæ lapſæ, cap. 15.

PVGNA aut victoria, quæ ante fidem contra peccatum obtinetur, ſiue peccati tentationem cauendo, ſiue ſuperando, non aliter fit niſi ſuperbia in animo, vel certè timore carnali, aliáue concupiſcentiâ terrenâ dominante. Neutro autem modo peccati tentatio aut cauetur aut vincitur, ſed ex vna in aliam animus cadit. Hoc autem non eſt peccatum operis moraliter boni ſuſceptione fugere, ſed peccata in peccata mutare. Pugna enim iſta carnalis, non ſpiritualis eſt, in qua ſiue vincat animus, ſiue vincatur, ſemper peccati reatum contrahit: ſi enim vincitur tentatione; ſine excuſatione reus eſt; ſi vincit, occultiùs, vel ſuperbiâ, vel timore, vel aliâ cupiditate ſuperatur.

Quidquid ſuis viribus ante gratiam (dilectionem Dei, ſeu charitatem actualem intelligit) homo conatur agere, & quaſi de bono opere patrato ſibi placet, ſuperbia eſt, non iuſtitia, aut opus bonum.

Impoſſibile eſt vt ille non peccet,

qui pœnæ timore non peccat, quandiu animus non mutatur; hoc est, quandiu timor solus animum à peccato abstrahit, &c.

XXVI.

LIBERVM arbitrium nostrum non tantùm non habet in sua potestate & libertate facere opus veræ pietatis vitæque æternæ meritorium, nisi antè gratia Christi (dilectionem verámque Dei charitatem intelligit) arbitrium liberauerit, & ad omnem actum, & sermonem, & cogitationem adiuuerit; sed etiam non est liberum, seu non habet in sua potestate facere, vel vnum opus moraliter bonum, hoc est actum quadam honestate morali ita bonum, vt non sit peccatum. Tom. 2. libro 3. de natura lapsa cap. 14.

Arbitrium post lapsum hominis ita captiuum, & boni faciendi libertate spoliatum, vt quidquid fecerit ante gratiam, sit verum & propriè dictum peccatum.

Ante fidem (formatam charitate debet intelligere, vt principiis suis non dissentiat) non est libero arbitrio liberum, dum hîc & nunc agere me-

ditatur, abſtinere, ſed quocumque ſe ſe verterit quadam humanis viribus inſolubili neceſſitate tenetur.

Periiſſe libertatem abſtinendi à peccato, vt nec in vllo opere peccati culpam poſſit effugere, inductam eſſe neceſſitatem peccandi, non tantùm in aliquibus actibus, ſed in omnibus, eo quod omnis eius actus antequàm credat (fide quæ dilectioni iuncta ſit) peccatum ſit, ſiue peccati tentationem fugere, ſiue amplecti videatur.

XXVII.

Tom. 3. lib. 3. cap. 17.

QVAMVIS homini deſit gratia ſufficiens, quâ præcepta poſſit implere, non propterea dicendum eſt fruſtrà eſſe præcepta, conſilia, monitiones. Habent enim vſum ſignificandi homini quid ab eo fieri debeat per propriam voluntatem, vt ſi fortè poſſit, faciat quod iubetur; ſi non poſſit, infirmitatem propriâ culpâ contractam doleat, orétque pro viribus impetrandis.

Quàm diuerſa doctrina, & quàm ex diametro repugnans eorum (Catholicorum Doctorum, qui Eccle-

ſiam aduerſus hæreticos tutati ſunt) imaginationibus, qui diuinæ ſeueritatis & œconomiæ ad perficiendos homines prorſus imperiti, nihil niſi gratias ſufficientes vbique præſentes imaginantur.

Quis ita procax & peruicax eſſe poſſit, vt aſſerat gratiam omnibus donatam eſſe, omnibus affuiſſe?

XXVIII.

TERTIA vtilitas eſt, vt non ſolum ſciant tam boni quàm mali quid ſibi faciendum ſit, ſed etiam qui non faciunt ſint inexcuſabiles. Tom.3. lib. 3. cap. 17. & 18.

Per præcepti cognitionem fiunt inexcuſabiles peccatores, non tam iudicio Dei, quàm ſuo. Dei enim iudicio etiam illi inexcuſabiles ſunt, qui lege non auditâ ignorando peccarunt.

Cuius diuinæ ſeueritatis ratio eſt, in iis, qui non potuerunt, pœna peccati, quo tota hominis poſteritas inquinata, iuſtiſſimáque cœcitatis pœna punita eſt.

Sequenti capite irridet eos, qui cum SS. Patribus, Conciliis & Doctoribus Catholicis vtuntur locis illis

Scripturæ: *Quid debui vltrà facere vineæ meæ, & non feci ei?* &: *Si non venissem, & locutus eis fuissem, peccatum non haberent, nunc autem excusationem non habent de peccato suo.*

Quid si velint à simili arguere, quòd si ignorantia excusat & impotentiam excusare debere. Respondetur impotentiam, quæ ex culpabili defectu gratiæ proficìscitur, etiam esse culpabilem, & vera peccata esse, quæ ex ignorantia legis naturalis, siue iam illa facta sit homini vincibilis, siue inuincibilis, proficiscuntur.

XXIX.

Tom. 2. lib. 2. de statu naturæ lapsæ cap. 24.

DOCET nullum peccatum perpetrari, quod non præcedat aliqua delectatio: quam delectationem nihil aliud esse sentit quàm rerum delectabilium libidinosum desiderium.

Elegit Apostolus generale quiddam, quo cuncta complexus est, tanquam hæc esset vox legis ab omni peccato prohibentis, quod ait: NON CONCVPISCES. Neque enim vllum peccatum, nisi concupiscendo committitur. Vbi per CONCVPISCERE ipsos motus CONCVPISCENTIÆ in-

telligit PROHIBERI. Ideóque illud præceptum solùm in cælo esse complendum, Nam huius vitæ iustitiam tunc perfici docet, quando concupiscentiis etsi tumultuantibus non consentimus.

XXX.

QVOD si aliter facta sunt quàm esse debuerunt, profectò nemo vera peccata esse dubitare potest, cùm peccatum non sit aliud nisi factum aliter quàm esse debuit, aut quàm vera sapientia præcipit. Tom. 2. lib. 3. de statu naturæ lapsæ cap. 17.

Quidquid in moribus vituperatur, vt non rectè factum, necessariò esse peccatum, quia peccatum nihil aliud est quàm aliter factum quàm esse debuit: neque hoc aliud quicquam est, quàm aliter factum quàm LEX PRÆCIPIT. *Cùm ergo lex præcipiat*, NON CONCVPISCES, *hoc est prohibeat ipsos motus concupiscentiæ, illi haud dubie peccata erunt, cùm præsertim aliter fiant, quàm esse debuerint, & ipsa libido voluntati dominans ab ea consensum extorqueat.*

XXXI.

GENERALE videtur Scholastico- Tom. 2. lib.

.. de ſtatu naturæ lapſæ cap. 2. 3. 4. rum (hoc eſt Doctorum Catholicæ Eccleſiæ aduerſus Hæreticos pugnantium) quod quidquid ex inuincibili ſit ignorantia hoc ipſo culpâ vacat. Quæ ſanè doctrina, quamuis humanæ rationi, quâ nititur, valdè plauſibilis eſſe videatur, difficile tamen eſt eam cum Auguſtini doctrina conciliare.

Et in titulo hæc præmittuntur.

Ignorantia etiam, quæ neceſſitatis eſt, non voluntatis, hoc eſt, inuincibilis, non caret peccato.

Cap. 3. Facere contra legem non eſt aliud quàm huiuſmodi verè peccare, etſi quod lex iubeat, id eſt, quid faciendum ſit, ſcire velint, nec poſſint intelligere quid lex fieri velit.

Quis dubitet ignorantiam recenter baptizatis nullo modo eſſe voluntariam, ſed prorſus inuincibilem, vtpote quæ nulla diligentia confeſtim tolli, ſed paulatim tamen proficiendo minui poteſt: cùm tamen interim quantumuis inuiti atque diligentes, multa quæ ad iuſtitiam ſpectant, animo adhuc carnales neſciant, & in illis animi tenebris conſtituti im-

pingendo delinquant.

Quæcumque nos hîc monent, rationis humanæ, ſed plerumque vana terriculamenta ſunt. Cap. 4.

XXXII.

Lex naturalis vniuerſum ius naturæ comprehendit, quo vetatur malum, & quo iubetur bonum. Huius legis naturalis ignorantia, ſiue ſit vincibilis, ſiue inuincibilis non excuſat à peccato delinquentes. Tom. 2. l. 2. de ſtatu naturæ lapſæ, lapſæ, capp. 5. & 6.

Quantumuis huiuſmodi ignorantia propriè peccatum non ſit, quantumuis etiam humanæ poteſtati inuincibilis ſit, quia tamen pœna peccati eſt, quidquid ex illa cæcitate perperàm fit, ſine peccato non fit. Cap. 6.

---

§. III.

De gratia ſufficiente, cooperatione, & merito.

XXXIII.

NVLLVM iam dari hominibus lapſis adiutorium ſufficiens quin ſit ſimul efficax in Auguſtini principiis exploratum eſt. Tom. 3. l. 3. cap. 1.

Nec ipſe D. Thomas aut vllus antiquorum Patrum inter ipſum & Auguſtinum, vel vllus vetuſtiorum Scholaſticorum iſtius gratiæ ſufficientis meminit. *Quàm verò impudentiſſimè in Catholicæ doctrinæ perniciem mentitus ſit, alij iam docuerunt.*

Sufficiens gratia non eſt aliud quàm adiutorium, ſine quo non fit opus, nequaquam verò adiutorium quo: ac proinde eſt adiutorium ſanæ voluntatis, ſeu primi hominis, non ægrotæ.

Eſt tantum adiutorium poſſibilitatis, non voluntatis & actionis. Dat enim homini poſſe ſi velit; non velle quod poſſit; ac proinde eſt Pelagianicum adiutorium, non Chriſti Saluatoris. Eodem libro 2. cap. 9. cùm adiutorij gratiæ vſus & non vſus actio & ceſſatio libertati ſubditur, vel cæcis manifeſtum eſt, impoſſibile eſſe vt ſit aliud adiutorij genus quàm poſſibilitatis, quod Pelagianus error aſſeruit.

Maſſilienſes tanquam hæretici proſcripti ſunt, quòd adiutorium ad credendum neceſſarium eſſe, atque ita

ſufficere ſtatuebant, vt cum eo credere poſſet homo ſi vellet.

XXXIV.

Hoc adiutorij genus prorſus inutile lapſorum reparationi, vel operationibus, etiamſi ad ſexcentos ſufficientiæ gradus augeretur: imò verò aſſeri non poteſt poſt lapſum, niſi maiori hallucinatione quàm Pelagiani ſublato originali peccato naturæ vires illæſas eſſe fateamur. Ibid. c 2.

Quòd ſi lapſis hominibus eſt inutilis gratia ſufficiens, profectò hoc ipſo & pernicioſa eſt. Et verò quid homini miſero pernicioſius, quàm illâ gratiâ abundare, quâ nemo vnquam fatentibus Scholaſticis (quo nomine Doctores omnes Catholicos, & Patres Conciliorum, præſertim Senonenſis auctores comprehendit) niſi maiorem damnationem aſſecutus eſt? Hoc ipſo quippe vnuſquiſque damnabilior eſt quo magis ſufficienti gratiâ abundauit.

XXXV.

Iam verò quid monſtroſius proferri poteſt quàm quoddam diſtinctum à cæteris adiutorij genus, quod Ibid. c. 3. & 4.

nunquam ab initio lapsus humani vsque ad iudicij diem, vllum in humana voluntate effectum habuit, aut habiturum est?

Monstrum quoddam singulare gratiæ, quod solummodo peccatis faciendis maioríque damnationi accersendæ seruiens, ideóque lapsis hominibus citra Dei inuidiam damnandis excogitatum.

Cuiusmodi adiutorium cum adiutorio Incarnationis & Crucis Christi, & adiutorio medicinali ægrotæ voluntatis nihil commune habet, sed ad adiutoria Pelagij & Massiliensium, & Augustini ante Episcopatum referendum est.

Sequitur sententiam illam, quæ legem sufficienti gratiâ semper succinctam introducit, non solùm esse falsam, sed Augustino Scripturísque contrariam.

Cùm intelligere non possent Scholastici (hoc est Catholici Doctores Wicleficæ, Lutheranæ & Caluinianæ hæreseon debellatores) aliquem esse posse culpæ reum, cuius euitandæ careret sufficienti potestate, co-

acti sunt aliquod sufficiens adiutorium omnibus hominibus, quibus præceptum imponitur, attribuere.

XXXVI.

ISTAM Scholasticorum doctrinam tantâ liberalitate gratiam largientium non immeritò dici potest à Massiliensibus, cæterisque Semipelagianis ortum habuisse, & in Catholicorum scholas (atque inde in libros S. Thomæ, S. Bonauenturæ, Ioannis Scoti Doctoris subtilis, & in acta Conciliorum Tridentini, Senonensis, Coloniensis, Moguntini, &c.) esse translatam. Ibid.c.12.

Massilienses doctrinam quibus Deus vnum ab altero discerneret, velut fatalium decretorum auctricem respuentes, voluntatem generalem salutis omnium in Deo fabricarunt, & ex illa gratias sufficientes ad assequendam salutem, maximéque ad legem naturalem custodiendam in omne genus hominum diffuderunt.

Capite 4. lib. 7. de hæresi Pelagiana dixerat inane quoddam gratiæ nomen & effigiem esse adiutorium,

quod ſimul cum voluntate, ſi tamen homo voluerit,operetur. Profundius eſt vulnus quàm vt curatrix eius medicina ſuum effectum à voluntatis libertate expectet.

XXXVII.

Tom. 3. lib. 2. cap. 37. QVI aliam gratiam Chriſti quàm efficacem procudunt, nouum genus gratiæ Chriſtianis afferunt, quod nec D. Auguſtinus, nec vllus poſt illum Latinorum Patrum, (nec Diuus Thomas, nec vetuſtiorum Theologorum aliquis agnouit) nec Eccleſia in vllis Conciliis Generalibus aut Prouincialibus ab Apoſtolica Sede probatis agnouit vnquam, nec agnoſcere potuit, niſi principia, quibus ipſa per antiquos Patres medicinalem Chriſti gratiam defendit, funditùs euertantur.

Tom. 2. lib. 4. de ſtatu naturæ lapſæ cap. 24. Hoc laqueo ſtringi ſe ſentientes Recentiores aliqui (non hęreticos hîc intelligit, ſed DD. omnes Catholicos) per portam patentiſſimam gratiæ ſufficientis exeunt, quam omnibus hominibus ad præcepta facienda Deum impertiri nouo profectò & primis gratiæ Defenſoribus inaudi-

to dogmate constituunt.

XXXVIII.

Nvllvm adiutorium gratiæ, cuius vsus ita ponitur in arbitrio voluntatis, vt illo vtatur aut non vtatur, vt illud amplectatur aut deserat, vel illi consentiat aut non consentiat, si voluerit, quamuis sine illo non velit, aut velle non possit, esse adiutorium, quo fit vt velit, sed tantùm sine quo non, & proinde ad medicinale adiutorium Christi nullo modo posse pertinere, sed ad adiutorium primi hominis, & sanæ voluntatis esse referendum. Tom. 3. l. 2. cap. 5.

Nullum adiutorium gratiæ, cuius vsus in voluntatis arbitrio relinquitur, esse adiutorium quo, quamuis sine illo simul concurrente velle non possit, nec esse adiutorium medicinale, seu gratiam Christi, de qua contra Pelagianos Augustinus & Ecclesia disputauit, sed ad summum esse tantùm adiutorium sine quo non, seu adiutorium primi hominis sanæque voluntatis, quocumque tandem nomine appelletur. Ex quo fit, vt neque lex, neque reuelatio, neque sa-

pientia, neque ſcientia quæcumque aut qualiſcumque, neque remiſſio peccatorum, neque gratia habitualis, neque virtutes infuſæ, vt quidam nimis aberrantes ab Auguſtini mente putauerunt, neque gratia ſufficiens, neque gratia quam congruam vocant, ſit illud adiutorium quo, ſed vt ſummum tantummodò ſine quo non, neque ſit adiutorium ægræ infirmæque voluntatis, ſed fortis & ſanæ, nec adiutorium Chriſti Saluatoris, ſed Adami.

XXXIX.

Tom. 3. l. 2. cap. 12. MEDICINALI adiutorio, quod ægrotæ voluntati ſanguine ſuo Medicus peperit, ex diametro quodlibet adiutorium ſufficiens & congruum aduerſatur, vtpote ſub quorum ſpecioſis nominibus prima integritas naturæ humanæ reſtituitur, fides, gemitus, & oratio cum Maſſilienſibus, imò verò ſpes, charitas, & cuiuſlibet virtutis operatio tentationíſque ſuperatio, omne meritum & præmium dominatrici hominis voluntati ſicut Angelis & Adamo vindicantur, diſcretio hominum à volendi fonte ſuſpen-

penditur, vnóque verbo, reipſa Chriſto Saluatori occlamatur: Recede à nobis, non eſt opus tuo medicinali adiutorio, ſani ſumus. Quid te medicum iactas, vt nobis ipſum velle largiaris, quod quidquid tu feceris, noſtræ eſt poteſtatis & voluntatis? Huc porrigit manus iſta bonorum virorum de adiutoriis congruis, hoc eſt ſufficientibus, diſputatio.

XL.

QVISQVIS alia diuinæ gratiæ adiutoria infirmis hominibus afferre nititur, quæ deſerant ſi velint, & in quibus permaneant ſi velint, originalis peccati virus euacuat, illæſas liberi arbitrij vires eſſe, Chriſtum fruſtrà veniſſe, & gratis mortuum eſſe perſuadet. Iam enim per naturam liberámque voluntatem non minùs quàm primus homo iuſtitiam operari poteſt. Tom. 3. lib. 2. cap. 27.

Adiutorium quod in libero relinquitur arbitrio, ita vt illud deſerat ſi velit, & in eo permaneat ſi velit, nihil impedit, quominùs per liberum arbitrium ac naturam ſit iuſtitia.

XLI.

Tom.3. lib. 2. cap. 21.

OMNIS alia quæ fingitur gratia, ſiue iuſtitia habitualis, ſiue alia quælibet potentialis, non eſt illa gratia, quâ Deus donat homini iuſtitiam, hoc eſt opus iuſtitiæ, ſed ſiue adſit ſiue deſit, ſiue influat, ſiue non influat, iuſtitia quæ inde ſequitur, non eſt Dei, ſed ſua, non diuinitùs data, ſed humanitùs prolata, eſt meritum non gratiæ, ſed liberi arbitrij, non diuinum, ſed humanum.

Qui iſtud quærunt aut dicunt (Diuus Thomas, & Doctores Catholici) non intelligunt huiuſmodi ſimultaneos cum humana voluntate influxus, atque cooperationes gratiarum habitualium, addo & actualium quarumcunque, nihil omninò ad agnoſcendam Chriſti medicinalem gratiam facere.

XLII.

Ibid. c. 22.

Ex dictis, ait, rectè confici gratiam Chriſti medicinalem eſſe non quamlibet Spiritus ſancti motionem, ſed illam tantùm, quâ Deus ipſum velle & operari operatur in nobis, ſeu

vt expreſſiùs dicam, quâ Deus ipſam determinationem voluntatis ad volendum & operandum inſpirat nobis & operatur in nobis.

Ipſa determinatio voluntatis etiam hîc & nunc ad volendum & operandum eſt propriè dictum diuinæ gratiæ donum, vtpote non ſolùm ſine qua non fiat, ſed quâ fiat, vt voluntas determinetur,

Capite 5. hoc fuerat vſus exemplo, lux eſt adiutorium ſine quo non, vt videamus: viſio verò eſt adiutorium quo videamus.

XLIII.

Ab intelligenda gratia Chriſti remotiſſimi ſunt, quotquot nihil aliud niſi operis boni ſupernaturalitatem cogitant & inculcant, cùm de gratiæ neceſſitate diſputant. Opus enim bonum omni creaturæ etiam integerrimæ ſupernaturale eſt, cùm tamen ad illud operandum nullâ Chriſti gratiâ, nec Angeli vel Adamus indiguerint, & ſine illius ope opera bona exercuerint. Tom. 3. lib. 1. cap. 7.

Vera itaque cauſa cur Chriſti gratia præter gratiam legis ac ſcientiæ

neceſſaria ſit, vt arbitrium ad bene volendum optandúmque liberetur, non eſt operis ſupernaturalitas, ſed eſt infirmitas voluntatis, quam concupiſcentiæ vulnus peperit.

XLIV.

Ibid. lib. 2. cap. 13. QVID aliud clamant iſta, niſi ex violatione, infirmatione, inclinatione, attenuatione, amiſſione libertatis, non ex operis ſupernaturalitate, & meriti dignitate iſtam humanæ voluntatis impotentiam, quam concupiſcentialis languor & rixa intulit, contigiſſe?

Sanæ libertati non opus erat adiutorium, quod ei velle donaret, non opus inſpiratione Spiritus ſancti, quâ credendi, diligendi, operandi voluntas aſpiráretur, non opus gratiâ, quâ libertatis arbitrium in velle ſurgeret, &c.

XLV.

Tom. 3. lib. 2. cap. 4. PRIMÆ integritatis adiutorium ſic adiuuabat voluntatem, vt cum eo operaretur ipſa ſi vellet: nunc autem ipſum adiutorium facit vt velit. Adiutorium ante ruinam erat tale, vt influxus eius perinde atque volunta-

tis in opus, ab ipſo liberæ voluntatis nutu penderet, adeóque ſalua maneret illa libertatis in vtramque partem flexibilis indifferentia: nunc verò poſt ruinam tale eſt, vt faciat annuere, & influere & velle voluntatem.

Facultatis ipſius libero arbitratui non ſubiacet, ſed inuictè facit vt hoc vel iſtud arbitrium arbitretur & velit. Talis eſt influxus cauſæ formalis. Hoc ipſo quippe quo adeſt iuſtitia fit iuſtus animus, & ſine illa iuſtus eſſe nunquam poteſt.

Eadem aliis verbis vſque ad nauſeam inculcat centies, milliéſve.

Nulla omninò medicinalis Chriſti gratia effectu ſuo caret, ſed omnis efficit, vt voluntas velit, & aliquid operetur, &c. quæ ſequuntur. Tom.3. lib. 2. cap. 25.

XLVI.

Gratiæ diuinæ operatio ex diametro repugnat arbitrij libertati, ſeu indifferentiæ libertatis, quia illam extrahit ab indifferentia agendi, eámque determinatè facit agere vel non agere, velle vel non velle. Quæ quidem contradictio tanta eſt tam- Tom.3. lib. 7. cap. 14.

que præcisa, vt si perfecta cælestis gratiæ delectatio voluntati tribuatur, indifferentiam illam Philosophicæ libertatis funditùs interimat, sicut hoc in animabus suâ beatitudine fruentibus manifestum est.

Gratia quæ facit facere directè repugnat libertati, si libertas in indifferentia agendi & non agendi sita est.

XLVII.

Tom. 3. l. 8. cap. 3. GRATIA vera Christi, & adiutorium istud est tale, vt voluntatem cum quacumque alia gratia in potentia constitutam ad actum protrahat, non, si voluerit, sed ei efficacissimè præbendo vt velit, non solùm si libero arbitrio hoc videatur vt velit, sed ineffabili suâ luce atque suauitate faciendo vt ei sic videatur & velit.

Adiutorium Christi est adiutorium, quo Deus donat, vt voluntas velit, aut ex duobus vnum pro altero velit, aut ardentiùs velit, efficiendo vt delectet, aut ampliùs delectet; quod enim ampliùs nos delectat secundum hoc operemur necesse est.

Facit denique vt necesse sit ani-

mum iſtud ſequi, & ſecundum iſtud operari quòd ampliùs delectauerit.

XLVIII.

AVGVSTINVS modum libertatis explicat, & quâ ratione cum Dei gratia ſit conciliandum liberum arbitrium docet: nec tamen vnquam vel ſemel, nec ex profeſſo tradit, nec per tranſennam inſinuat ſaluam eatenus manere ſub gratia libertatem eius, quatenus actum volendi ſic exerit, vt eum poſſit ſuſpendendo continere. Tom.3. lib. 8. cap. 5.

Auguſtinus gratiam cum libero arbitrio non aliter conſentire facit, niſi oſtendendo quòd gratia non ſola facit, ſed aliquid etiam voluntas agit: non aliter conciliat, niſi quia gratia facit velle voluntatem, nihil omninò de indifferentia præſente, vel abſente ſatagendo. Cap. 7.

In hoc vnico concordiam gratiæ & liberæ voluntatis ſtatui, quòd arbitrium non inſtar trunci vacet, aut cogatur inuitum, ſed ſimul etiam aliquid propriâ voluntate velit & agat. Cap. 8.

XLIX.

HINC illæ paſſim apud Pelagianos Tom.1. l. 5. cap. 2.

phrases: quòd Deus, aut gratia prouocet voluntatem, quòd alliciat, quòd expectet, quòd adiutorium libero arbitrio cooperetur, & huiusmodi: illarum verò phrasium quibus Deus dicitur præparare, hoc est facere voluntatem operari velle atque perficere, hoc est adiuuare ad ipsam voluntatem & actionem, vel silentium, vel detestatio.

L.

Tom. 3. l. 2. cap. 23. LAVDEM boni operis bonæque voluntatis partiri cum Deo impium esse ex eo patet, quòd post lapsum hominis tota laus bonæ voluntatis atque operis in sólam gratiam referenda sit.

Si ex seipso habet determinationem suæ voluntatis hîc & nunc, & non ex Deo determinationem largiente, in quo nisi in seipsó, non in Domino contra Apostolum gloriabitur?

Non ergo ex homine homini est ista suæ voluntatis determinatio, sed ex Deo gratiâ suâ hominem determinante, quam alteri negat, vt seipsum suâ voluntate determinet. Quæ sua

determinatio propterea neque bona eſt, neque laudabilis, neque placet Deo.

Cùm Deus per medicinalem gratiam velle largitur, dando ipſam credendi, orandi, ſperandi, diligendíque voluntatem, tum demùm talis actio eſt gratiæ diuinæ, non voluntatis humanæ, tunc eſt meritum diuinitùs datum, non humanâ voluntate præſumptum, tunc eſt iuſtitia non noſtra, ſed Dei, non quaſi ſine noſtra voluntate fieret, ſed quia Deus, concurrente licèt voluntate, facit vt fiat, ſicut anteà concurrente ſanitatis adiutorio, (hoc eſt Adami, vel Angelico, & ſufficienti, & congruo) voluntas humana faciebat vt fieret. Cap. 12.

Capite 26. fusè docet: quòd Angelus ſteterit, liberæ voluntati, non gratiæ eſſe tribuendum, vtpote cuius actio, vel ceſſatio liberæ voluntatis arbitrio relinqueretur; nunc vice verſâ, non voluntati adſcribendum eſſe, ſed gratiæ.

§. IV.

De voluntate Dei ſaluandi omnes.

LI.

Tom. 3. lib. 3. cap. 20. circa fin.

ANTECEDENS voluntas omnes ſaluandi, poſtquàm peccata iam ab hominibus inducta conſiderantur, ſeu poſt Adami lapſum, in nuda quadam velleitate nihil omninò gratiæ cauſante conſiſtere poteſt. Quod ex eo manifeſtiſſimè patet, quia talem antecedentem voluntatem etiam erga damnatas creaturas, ſiue hominum, ſiue Angelorum, Deus habet.

Non obſtante eadem voluntate antecedente, quibuſdam hominibus originali labe damnatis gratiam ſufficientem, fidem, iuſtitiam, ſalutem, fidelitatémque negare poteſt, eóſque nolle ſaluos fieri.

LII.

MASSILIENSES (quo nomine veterator impius Catholicos Doctores ſugillat) tanquam firmiſſimam baſim

errori ſuo collocarunt iſta Scripturæ loca, quibus *Deus* dicitur *omnes velle ſaluos fieri*, atque eſſe *redemptor omnium*. Nam inde fabricarunt quamdam generalem & indifferentem erga vniuerſos voluntatem: deinde ex illa generali voluntate ſalutis omnium, vocationem quoque generalem, ſufficientémque omnibus gratiam deriuarunt; quam qui vellet (non adiutus Chriſti medicinali gratiâ addere debuerat vaferrimus ſcriptor, ſeu ex ſolis naturæ viribus, vt Maſſilienſes figeret, parcerétque Catholicis) arriperet, aut abiiceret, atque operationem eius conſentiendo, aut diſſentiendo fructuoſam aut caſſam redderet, pro ſuæ liberæ arbitrio voluntatis. Ita generali iſtâ voluntate Dei & gratia ſufficienti, velut baſi iacta, totam diuini propoſiti, & prædeſtinationis efficaciam, totam hominum diſcretionem ad humanum arbitrium reuocabant.

LIII.

NON poteſt ſtatui, quòd recentiores plerumque ſolent, voluntas generalis, qua Deus velit omnes ho- Tom. 3. lib. 10. cap. 2. & 3.

mines in damnatione primi peccati poſitos ſaluos fieri, ex qua voluntate non ſolùm generalia redemptionis remedia, ſed etiam ſufficientia adiutoria omnibus etiam reprobis præparauerit. Sicut enim talia ſufficientia adiutoria non dantur omnibus, imò nulla omninò poſt lapſum ſunt, ita nec voluntas illa generalis, ex qua promanare dicuntur.

Talis voluntas generalis fuit Maſſilienſium baſis, ex qua ipſi media omnibus hominibus ſufficientia largiti ſunt.

Nam quod Scholaſtici plerique putant, Deum poſt hominum lapſum habere adhuc voluntatem ſaluandi omnes omninò, nemine excepto, & ex illa voluntate omnibus etiam reprobis ſufficientem gratiam præparaſſe, ab Auguſtini ſententia prorſus diſſentaneum eſt.

LIV.

Tom. 3. lib. 3. cap. 20. QVID enim iuuat, quòd iſtum ſenſum Chryſoſtomus, Oecumenius, Theophylactus, aliíque Græci ſecuti eſſe dicantur; cùm Chryſoſtomus, quem ſequi ſolent, ante ſubortas

de diuina gratia difficultates, commentarios ſuos exarauerit; nec vlli imperfectiùs de gratia, quàm Græci locuti ſunt; nec vlla difficultas de gratia magis lubrica ſit, quàm iſta, in cuius intelligentia & ipſe Auguſtinus ante Epiſcopatum allucinatus eſt.

LV.

ERRONEA eſt ſententia Recentiorum (Doctores, Eccleſiæ ac fidei Romanæ aduerſus Lutherum, Caluinúmque defenſores intellige) qui exponunt locum Apoſtoli 1. Tim. 2. *Vult omnes homines ſaluos fieri*, de voluntate ſaluandi omnes quantum in ſe eſt. Expoſitio enim illa ab errantibus introducta, à veris gratiæ Defenſoribus grauiter improbata eſt, & totius erroris Maſſilienſium baſis. In Parallelo ſeu ſtatera erroris Maſſilienſium.

Eadem iſta decantatiſſima Maſſilienſium, & Pelagij, & omnium Pelagizantium cantilena, &c.

Expreſſa eſt iſta criminatio inuidioſiſſimè conclamantium, &c.

LVI.

QVI à numero liberandorum beatiſſimo ſecluſi ſunt, & negatiuè re- Tom. 3. lib. 10. cap. 2.

probati, etiam positiuè reprobati dici possunt. Non enim sic præteriti sunt à Deo, vt quodammodo manserit voluntas eius de ipsorum salute vel perditione suspensa: sed sic vt fuerit voluntas fixa eos relinquendi in isto statu, ex quo cæteros liberare statuebat. Ille autem citra dubium perditionis ac damnationis est status.

Deus eos non solùm non vult liberare, sed etiam positiuè vult in damnatione relinquere, &c. *Plura habentur infrà* §. 10.

LVII.


Tom. 3. lib. 9. cap. 20.

Iis quos non elegit Deus ad regnum, nequidem Euangelium prædicari, vel signa coram iis patrari sinit, non quia scit eos prædicationi & miraculis non credituros, sed neque tunc quando eos credituros videt, nempe, quia noluit eis intendere finem, salutem videlicet in regno suo, noluit eos eligere ad medium, hoc est ad fidem, qua sola saluari potuissent, & quia noluit eis tribuere, & istum finem, videlicet fidem, noluit etiam eis prædicationem & miracula fieri quibus permoti crederent,

quamuis videat eos Euangelio sic prædicato credituros.

LVIII.

Electio seu discretio à massa perditorum, sicut facit vt Deus in sic electis omnibus impedimenta dissipet, ipsámque animi cæcitatem ac duritiam cordis perrumpat, atque auferat, vt ad decretum istud liberatricis gloriæ beneficium pertingere possint; ita è contrario, ira Dei manens super perditos peccatores, quæ eos decreuit ab isto liberationis beneficio secludere, hoc operatur, vt qualiscumque indolis ac naturæ sint, quamtumuis videat eos adhibitis miraculis credituros, subtrahat eis & prædicationem & miracula, quorum subtractione in massa damnationis relinquuntur ac pereunt. Ibidem.



---

§. V.

De morte Christi pro omnibus.

LIX.

Tom.3. lib. 3. cap.21. sub fin.

AVGVSTINI principiis consentaneum non est, vt Christus Dominus vel pro infidelium in infidelitate morientium, vel pro iustorum non perseuerantium æterna salute mortuus esse, sanguinem fudisse, semetipsum redemptionem dedisse, Patrem orasse sentiatur. Ex quo factum est, vt non magis patrem pro æterna liberatione ipsorum, quam pro Diaboli deprecatus fuerit. Sed, si quid pro illis rogauit Patrem, pro temporalibus quibusdam iustitiæ effectibus rogauit, & pro iisdem obtinendis obtulit pretium, fuditque sanguinem suum.

Noluit mortem, sanguinem, redemptionem, propitiationem, orationem Christi ad omnes homines dilatari, sed ad illos solos, qui prædestinati sunt, quatenus pro æterna & totali eorum salute offeruntur, vel certè

certè aliquatenus quoque ad illos, qui ratione temporalis fidei aut charitatis effectus aliquos redemptionis & propitiationis assequuntur.

LX.

ILLA extensio tam vaga modernorum Scriptorum (ij sunt Catholici omnes aduersus Caluinum, Bezam, similésque Antichristos generosè dephæliantes) non alio ex capite, quàm ex ista generali & indifferenti voluntate Dei erga salutem omnium, & ex illa sufficientis gratiæ omnibus conferendæ præparatione fluxit, quorum vtrumque antiqua Ecclesia, velut machinam à Semipelagianis introductam, repudiauit. Ibidem.

Viden' vt Caluinianorum sedulus Administer antiquam Ecclesiam designet, vt posterioris æui Ecclesiæ, quam gregales eius à quingentis annis corruptam impudentissime mentiuntur, opponat; eóque Lectorem deducat, vt relicta Romana Ecclesia, quam Pelagianismi sordibus ab aliquot sæculis contaminatam insinuat, ad Caluini caulas, doctrinæ orthodoxæ & Antipelagianæ à

centum & quod excurrit, annis, laude eximia florentes, ſe conferat: quod infelicis Labadij exemplum ſecuti nonnulli in Aquitania, Normania, aliiſque Galliæ prouinciis iam præſtitiſſe memorantur.

LXI.

Tom. 3. lib. 3. cap. 21.

ARGVMENTVM pro gratia ſufficienti, quia Chriſtus eſt redemptor omnium iuxta illud 1. ad Timoth. 2. capite: *Qui dedit ſemetipſum redemptionem pro omnibus*, iam olim ad nauſeam vſque à Pelagianis præſertim Maſſilienſibus, inculcatum fuit; vt mirum ſit recentiores tanto ſtudio trita hæreticorum arma colligere, & obſoleta recudere. Quin potiùs nihil mirum ſi ad eundem ſcopum collimantes, eodem eadem via peruenire contendunt.

Maſſilienſes tanquam firmiſſimam baſim errori ſuo, &c. *Vide Prop.* 52.

LXII.

Ibidem.

DEVS quibuſdam hominibus prædeſtinauit fidem, charitatem, & in ea perſeuerantiam vſque in finem, quos abſolutè prædeſtinatos, electos, & ſaluandos dicimus; aliis charita-

tem ſine perſeuerantia; aliis fidem ſine charitate. Pro primi generis hominibus, tanquam veris ouibus ſuis mortuus eſt, & rogauit patrem ſuum, non pro cæteris, qui à fide & charitate deficientes in iniquitate moriuntur. Eatenus enim & non aliter pro illis Chriſtus mortuus eſt, & ſanguinem fudit, & propitiatio peccatorum eſt, & rogauit patrem ſuum, vt videlicet temporales effectus propitiationis conſequantur. *En puram putamque Caluini, & Caluinianorum abominationem ſtantem in loco ſancto.*

LXIII.

FIERI nullo modo poteſt, vt Chriſtus pro aliquo mortuus ſit vt viuat, quin ille vitam aſſequatur. Nam pro aliquo mortuum eſſe, vel fudiſſe ſanguinem ſuum, inſinuant voluntatem Chriſti, quam habet vt ei mors ſua patri oblata & ſanguis proſit. Ibidem.

Proderit igitur illi neceſſariò Chriſti ſanguis & mors, pro quo ſanguinem illum fuderit, & mortuus fuerit: & cui nullo modo prodeſt, pro illo nec ſanguinem fudit, nec mortuus fuit. Eatenus autem prodeſt

quatenus prodeſſe voluit, qui aliquid inaniter velle non potuit; vt credat quidem, vel vt iuſtificetur, vel vt perſeueret atque ſaluetur, ſi pro illo vt credat, vel vt iuſtificetur, vel vt perſeueret atque ſaluetur, mortuus fuerit.

Mihi pag. 165. columna priore. Si nullus ex illis perit, pro quibus Chriſtus mortuus eſt, profectò quiſquis perit, ſiue aliquando iuſtus fuerit, ſiue non iuſtus, non eſt pro illo mortuus Chriſtus. Quiſquis perit, non ille Chriſti ſanguine redemptus eſt.

Intentione morientis Chriſti pretium pro illis oblatum eſt, vt eius oblatione placatus pater eos reipſa de ſeruitute liberaret, non ſub iſta conditione, ſi ipſi velint, ſed vt velint & credant, potenter in eorum voluntatibus operando.

Vanum eſt & ſtultum pro reprobis ſaluandis ſeria voluntate Chriſtum pati ac mori. Vanum pro talibus à perditione liberandis offerre patri vota, preces, mortem & ſanguinem ſuum. Mortis enim & ſanguinis oblatio eſt quoddam efficaciſſimum rogandi genus.

§. VI.
De operibus infidelium, & amore concupiscentiæ.

LXIV.

SOLENT Pelagiani negantes Dei dona esse virtutes, quibus rectè viuitur, & eas naturæ voluntatíque humanæ tribuentes hoc vti argumento, quod eas nonnunquam habeant infideles. Tom.1. lib. 4. cap. 8.

Hanc suam doctrinam in illo potissimùm Apostoli loco fundant, quo dicit in Epistola ad Romanos cap. 2. *Gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, &c.*

Quàm sint autem ista dissonantia à doctrinæ Ecclesiasticæ veritate, fusiùs suo loco declarandum erit.

LXV.

CVM duo possint in virtute spectari officium quod fit, & finis propter quem fit, si officium nudè consideretur, nullum inconueniens Tom.2. lib. quarto de statu naturæ lapsæ, cap. 16.

est, plurima vitæ bonæ præcepta à Gentilibus Philosophis agnita, tradita & obseruata sunt. Sed illa officia nisi propter illum finem fiant, propter quem facienda esse vera sapientia præcipit, quamuis operibus quæ fiunt bona esse videantur, ipso non recto fine peccata sunt. Finis autem ille non est aliud, nisi Deus intentione fidei bonæ diligendus. Illius autem & credendi & diligendi omnis omninò scintilla per peccatum, omnis fomes extinctus est. Non enim tantùm ad perfectionem virtutis comparandam infirmata natura est, sed etiam ad qualemcunque & quantamcunque exiguam eius inchoationem.

LXVI.

Tom. 2. libro 3. de statu naturæ lapsæ, cap. 17.

NVLLVM omninò fieri opus bonum, hoc est sine peccato, nisi ad finem in quem referri vera sapientia præcipit, hoc est in Deum propter se dilectum referatur: alioquin neque rectè fit, neque opus bonum est, sed veri peccati contaminatione pollutum.

Non potest voluntas creaturæ ni-

ſi in ſolius Creatoris amore conquieſcere. Quidquid ſecùs fit, perperàm fit, neque abſque peccato, quo faciendi vtendíque norma peruertitur, fieri poteſt.

Quidquid in moribus vituperatur vt non rectè factum, neceſſariò eſt peccatum: quia peccatum nihil aliud eſt, quàm aliter factum quàm eſſe debuit: neque hoc aliud quidquam eſt, quàm aliter factum quàm lex præcipit.

Nam illa effugia Recentiorum (Doctores Catholicos allatrat Quadruplator verſipellis) quòd aliquid inaniter, & non rectè factum, & non bonum eſſe poſſit, quia etſi bonum ſit, nihil ad æternam vitam conferat, à Iuliano primùm Pelagiani dogmatis architecto excogitata ſunt.

LXVII.

Non datur medium inter charitatem & culpabilem cupiditatem: charitatem non illam propriè dictam, qua Deus ſuper omnia diligitur, ſed illam generalem, qua Deus gratis & propter ſe diligitur.

Tom. 2. lib. 3. de ſtatu naturæ lapſæ, c. 19.

Cùm non poſſit eſſe alius amor,

niſi vel Creatoris vel creaturæ, ille bonus, hic culpabilis, vtpote amor mundi ab Apoſtolo vetitus, & iuxta Auguſtinum ipſa ratio peccati, quæ in omni maleficiendi genere dominatur, profectò liquet omnem amorem præter iſtam charitatem eſſe illam culpabilem cupiditatem.

Vbi non eſt Dei charitas non aliud eſſe poteſt, niſi illa culpabilis cupiditas, &c. *quæ millies inculcat, infercit, impingit.*

LXVIII.

Lib. 1. de grat. Chriſti cap. 4. Ex ſola natura captiuitatis liberi arbitrij, ſub qua poſt peccatum detinetur, & oppoſitæ liberationis per gratiam ſatis perſpicuè intelligi poteſt, quòd per ſe nullum bonum voluntatis motum arbitrium poſſit operari. Captiuitas enim illa in eo poſita eſt, quòd voluntas terrenæ concupiſcentiæ viſco intimè penetrata ſemper & in omni actu, motibus eius feratur & referatur imperio eius, & ponderi indeſinenter ſeruiens, eodem planè modo, quo voluntas Beatorum in omnibus omninò motibus ſeruit diuinæ charitati. Illa quippe

duo directam oppositionem habent, eo quòd non possit voluntas discedere ab amore Creatoris, quin in concupiscentiam creaturæ hoc ipso delabatur.

Tertius effectus est, quòd animum rebus creatis glutino quodam alligat, & illaqueat, ex quo fit, vt quantumuis antè libera voluntate dilexerit, non possit se ab eius amore extricare, vt pennis liberis in Deum euolet, &c. Effectus ille ab amore terreno inseparabilis est, quamuis initio pene sensum fugiat, sed repetitis actibus amoris crescit amor: & fit libido amandi ac delectandi se, ex delectatione nascitur consuetudo, ex consuetudine necessitas, &c. Libro 2. de statu naturæ lapsæ cap. 20.

LXIX.

IMPOSSIBILE est vllum liberum voluntatis actum exeri, nisi illius amoris, siue naturalis, siue superadditi, desiderio quodam inuoluntario prouocetur. Sola enim illa pura dilectio Dei nullum cum illo amore præeunte commercium habet, sed eius inordinationes interficit, & eius titillationes præuolantes enecat. Tom. 2. libro 2. de natura lapsa, c. 25.

Quidquid non ex illa diuina purissimáque dilectione fluit, hoc necessariò ex illo amore sui, ac desideriis eius, siue ordinatè, siue inordinatè prosilientibus, & præeuntibus proficiscitur.

Libro 1. de statu puræ naturæ cap. 10.

Opus gratiæ est officium illius altissimæ charitatis beneficium Spiritus sancti, qui cor cælesti delectatione mollire, erigere, conuertere & attrahere debet. Quod nisi fecerit, voluntas creaturæ rationalis, quocumque se conuerterit, etiam tum cùm se legem & iustitiam diligere putabit, siue naturaliter, siue alio quocumque modo, non hærebit, nisi in dilectione ac delectatione creaturæ, quod eadem illa æterna lege damnatur.

Lib. 5. de gratia Christi cap. 9.

Voluntatem ex qua credimus Deo, & speramus in Deum, non aliam esse, quàm verum amorem, seu charitatem Dei, quia iustitia est: sed iustitia diligi non potest, sine vera & propriè dicta charitate.

Lib. 5. de gratia Christi cap. 5.

Nullam esse veram religionem, aut cultum Dei, sed simulationem tantùm & laruam eius, nisi Deus since-

rè & castè, hoc est gratis, & propter seipsum, ex vera charitate diligatur. *Capite præcedenti dixerat, frustrà omninò præter charitatem alias virtutes morales à Scholasticis quæri.*

LXX.

Cvm creatura rationalis ad aliquid necessariò sua voluntate, tanquam pondere inclinetur, alterutrum necesse est, sit id, in quo motus voluntatis requiescat, aut Creator, aut creatura, aut mundus, aut Deus. Nam sub mundo quidquid creatum & à Deo distinctum est comprehenditur.

Tom. 3. lib. 5. de gratia Christi c. 2. sub finem.

Quòd si in creatura diligenda requiescat, vitiosus, reprehensibilis, adeóque culpabilis amor sit, fons, fomes ac radix omnium peccatorum. Est enim illa vitiosa cupiditas, quæ in omnibus peccatis dominatur, cui contraria est sola charitas Dei. Nullum quippe medium inter ista duo datur aut dari potest. Hinc ille titulus & lemma capitis 19. superiori propositione à nobis allegati : Non datur medium inter charitatem & culpabilem cupiditatem.

Ex variis quoque eiusdem Auctoris locis colligere licebit, omne hominis opus, omnémque amorem ab eo damnari, nisi sit amor & opus solius charitatis, diuinæ, verissimæ, genuinæ, propriæ, atque adeò propriissimæ, notissimæ, quæ est præcipuum Dei donum, amor erga Deum beneuolentiæ, amicitiæ, quæ hominem intrinsecus iustificat, iustum efficit, quæ est dilectio & charitas altissima, qua Deus solus verè, sincerè, gratis, ex animo, propter seipsum diligitur, quæ quantumuis remissa, exilis ac tenuis, idem prorsus obiectum ac perfecta charitas habet, quæ denique limpidissimus Dei amor est vsque ad contemptum & obliuionem omnis creaturæ, atque adeò amantis ipsius. Addit quoque se intelligere charitatem, quæ est spiritualis illuminatio, doni cælestis infusio, amor ille grandis diuinæ charitatis, qua Angeli sancti lucere ac feruere noscuntur.

LXXI.

Tom. 2. l. 4. de stat. nat. lapsæ c. 3.

SOLA absentia fidei sufficit, vt omnia opera infidelium verè peccata sint.

Sola fidei abſentia velut malæ operationis origo, cauſáque ſufficientiſſima peccati eſt.

Omninò impoſſibile eſt infideles, qui amore Creatoris carent, vlla omninò creatura vti, niſi malè, &c.

Idem docet cap. 4. libri primi de gratia Chriſti Saluatoris, quod deficiente fide per Chriſtum fit, malum eſſe, hoc eſt verè propriéque peccatum: & cap. 5. quidquid facit ante gratiam eſſe veri nominis peccatum ac mendacium.

LXXII.

NVGÆ, delirium, inſania, error, impietas contraria Chriſtianorum ſenſui, Scripturis & fidei, quòd infidelium ſit vlla vera virtus, vel opera ſine peccato. Tom. 2. lib. 4. de ſtatu naturæ lapſæ cap. 17.

Videant Philoſophiæ admiratores, ne in hac doctrina aſſerenda etiam ipſi periclitentur.

Vulnus quo cecidimus à Philoſophis ignoratum fuit, longéque altiùs inflictum, quàm nonnulli Chriſtiani Theologi putant.

Argumenta eorum pro virtutibus & operibus bonis infidelium Philo-

ſophica ſunt, humana ſunt, ratiunculis ſubnixa leuioribus.

Adde quæ capp. 11. 12. 13. *aliiſque diſputantur.*

LXXIII.

Ibid. c.27. Magis arctat propoſitio vigeſima quinta, *aliis eſt* 26. *Michaelis Baij, damnata à Romanis Pontificibus Pio V. & Gregorio XIII.* omnia opera infidelium ſunt peccata, & Philoſophorum virtutes ſunt vitia. Vtramque enim partem tam conſtanter & luculentè tot modis Auguſtinus tradidit, vt ſi vlla eſt doctrina in vniuerſis lucubrationibus eius manifeſta, illa emicet inter omnes.

Quapropter ingenuè fateor mihi hîc aquam hærere, nec aliud impræſentiarum occurrere, quod reſpondeam.

Cur ergo propoſitiones Baij proſcriptæ ſunt? Idcircò quòd altera ſententia Scholaſticorum ſtudiis humanas magis rationes, quàm Eccleſiaſticam traditionem attendentium in Scholis eſſet receptior atque tritior.

Quis enim neſciat nubem eſſe Scholaſticorum, qui nonnulla opera

bona in infidelibus agnoſcunt, & Philoſophorum virtutes non vitia, ſed virtutes eſſe profitentur? ſed quantumuis illi numeroſi fuerint, non poſſunt doctrinæ, vſque ad ætatem circiter primorum Scholaſticorum, quaſi per manus, traditæ vllum afferre præiudicium.

Hoc tamen egit ſummorum Pontificum prudentia, vt quia Scholaſticorum diſputationibus Auguſtini doctrina ita erat obſcurata, & interpretationibus obruta, vt quænam eſſet ab Auguſtino aſſerta ſententia difficillimè diſcerni poſſet, altera pars ſine præiudicio veritatis tantiſper vetaretur, tanquam quæ vetuſta quaſi nouitate noſtri temporis Doctores, *imò & qui à quingentis annis in Eccleſia Catholica docuerunt*, vetuſtatis eius inſcios offenderet, ſcandalóque perturbaret. Non enim veritas tantummodò, ſed & pax Eccleſiæ Præfectis curæ eſt, cuius interitu etiam veritas apud homines plerumque periclitari ſolet.

Ergo pacis ſtudio Eccleſia veritatem damnat & proſcribit, & falſitatem ac

mendacia tueri ac propugnare iubet in omnibus Scholis Theologorum, in omnibus concionibus, catechiſmis, libris piis, &c. En veternoſi anguis maculoſam pellem dubio fulgore micantem. Sed pergit:

In iſta propoſitione de operibus infidelium & virtutibus Philoſophorum locum habuiſſe arbitramur, vt propter receptiſſimam in Scholis partem vnam, altera velut offenſiua prohiberetur, donec aliquid liquidius ex antiquorum maximéque ex Auguſtini ſcriptis luceſceret: nam doctrina ſanctiſſimi Doctoris, & pugilis inuictiſſimi, aduerſus ſuperbos humani arbitrij Prædicatores, tam ſublimis, & tot elogiis ſanctorum Patrum, ſummorúmque Pontificum commendatæ auctoritatis eſt; vt quidquid ab eius veſtigiis aberrando poſteriorum Scholaſticorum ſubtilitas aduerſus eam excogitauerit, traditæ per eum veritati cedere debeat.

Atque vt videant omnes, palpéntque vel imperitiſsimi quique, quouſque perditiſsimi hominis, & vere Caluini gregalis proceſſerit impudentia, adſcribam

bam quæ ſequuntur, non ſine ſtupore mentis ac totius corporis horrore.

Auguſtinus non ſolùm doctrinam iſtis propoſitionibus, *eas intelligit quæ in Bulla Pÿ V. aduerſus Michaelem Baium ſuprà numerantur* 26. 28. 29. 30. 35. 37. 38. 40. 65. *ac ſimiles*, comprehenſam conſtanter improbauit, ſed etiam velut Pelagianum errorem abhorruit. *Ergo Concilia, Pontifices, Præſules Catholici errores Pelagianos propugnari iubent à Doctoribus, & Catholicam doctrinam iis è diametro oppoſitam proſcribunt, abolent, condemnant.*

Certitudo illa, propter principia Scholaſticorum ab Auguſtinianis diuerſiſſima, Scholaſticos Doctores, *Concilia, Pontifices, Præſules omnes, Parochos, Concionatores adiungere debuit, vt verè Nouus Eccleſiæ Doctor, miſſúſque è cælo Paracletus audire poſſet,* prorſus latet.

Nimia quippe Philoſophiæ humanæ ſubtilitate, credulitate, doctrinæque ſanctioris, quam Auguſtinus tradidit, profunditate, veritas ab ipſo tradita ſic obſcurata, Scholaſticóque puluere ſepulta eſt, vt quamuis

in Eccleſiæ fide, quotidianiſque precibus luculentiſſimè ſplendeat: in Scholarum claſſibus tamen pleriſque, *omnes omninò dicere debuerat, quinimmò Eccleſiam vniuerſam Catholicam, Apoſtolicam atque Romanam; niſi fortè hîc inter Scholarum claſſes annumeret Geneuenſis ac Dordrechtanæ Matæologiæ proſtibula*, vix, imò ne vix quidem, agnoſcatur.

Egregium verò aſtutæ vulpis effugium, quo Caluiniani ac Lutherani deliteſcentem ſuam tot retrò ſæculis Eccleſiam in altiſſimo monte, ac ſuper candelabrum collocent: quæ licet exulauerit à Scholarum claſſibus, adeóque à cordibus atque animis Romanorum Pontificum, Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, Parochorum, Concionatorum, Theologorum, eorúmque omnium, qui in Conciliis generalibus Prouincialibuſque decreta fidei ſanciuerunt, ſemper ea tamen hactenus, non tantùm in fide Eccleſiæ, quotidianiſque precibus, ſed in Pſalmis Dauidis, in Euangeliis quatuor, in Epiſtolis Pauli, in Auguſtini libris, atque homiliis SS. Patrum luculentiſſimè ſplenduit.

LXXIV.

INFIDELES carent gratia ſufficienti ad ſalutem, tam proxima, quàm remota, & omnibus principiis eius. Tom.3.lib. 3. capp. 11. & 12.

Profectò ſupra modum paradoxa mihi doctrina videtur, quæ infidelibus etiam ſufficientem gratiam, & quidem ad facienda Dei præcepta naturalia adeſſe conſtituit.

Non Auguſtini tantùm opinio, ſed Apoſtolica doctrina Chriſtianis ab Apoſtolo propinata.

Infideles non habent gratiam ſufficientem ordinis naturalis.

Gratia ſufficiens infidelium à Semipelagianis excogitata, &c. *ſimilia quæ iam ſuprà delibata ſunt.*

LXXV.

SOLEMNIS illa diſtinctio de amore Dei naturali & ſupernaturali (deberi ſiquidem creaturæ rationali naturalem amorem principij ac finis ſui, quo ſuper omnia Deum diligat, eúmque diligendo naturalia eius præcepta cuſtodiat, nullo verò modo deberi amorem illum, qui naturæ vires ſuperet, & creatu- Tom.2.lib. 1. de ſtatu naturæ puræ cap. 3.

ram ad ſtatum ſupernaturalem eleuatam eſſe ſupponit) in vniuerſis operibus Auguſtini, vel cuiuſquam antiqui Patris, qui ante Scholaſticorum aduentum floruit, in vllius Concilij canone vel doctrina, in vllius ſacri libri pagina nullum habet veſtigium, ſed Philoſophiæ humanæ viribus eſt excogitata, & antiquis omnibus gratiæ defenſoribus inaudita, &c.

Adde iis ex Libertini Fromondi vulpino, vt rectè vocauit D. Valentinus Randoux, Indice, verba hæc:

Dilectionis Dei diuiſio in naturalem & ſupernaturalem à Philoſopho-Scholaſticis confícta, & ab Auguſtino nunquam excogitata.

LXXVI.

Tom. 2. lib. 1. de ſtatu naturæ puræ cap. 10.

Distinctio duplicis dilectionis iuſtitiæ, quarum altera ſit naturalis, altera ſupernaturalis ab Auguſtini principiis aliena eſt, multis poſt eos ſæculis excogitata, qua ſanè gratior Pelagianis dari nequit. Quod enim Scholaſtici ſe ſatis tutos aduerſus peſtem illam putant, reſpondendo, Pelagianos meritum in illo

amore naturali ſtatuiſſe, hoc inane commentum eſt.

LXXVII.

CONCVPISCENTIA reſpectu Dei amor vitioſus eſt. Nam ille ſemper quidquid concupiſcit, ſiue vtendum, ſiue fruendum, hoc vltimo ad ipſum amandum refert. Ex quo fit, vt ſi ſic etiam Deo frui cupimus, aut ſperamus, reuerà nos ipſos, non Deum, diligamus. Tom. 3. lib. 5. cap. 9.

LXXVIII.

CONSTAT non mediocriter eos falli, qui ſpem Chriſtianam tantopere deprimunt, vt eam ſubtrahant charitati, quaſi ille qui deſiderat, & ſperat præſentiam dilecti ſui ab vnico & vero obiecto ſuo in ſeipſum reſiliret, & quodam ſinceritatis adulterio puritatem diuinæ & gratuitæ charitatis in concupiſcentiæ amorem, aut in mercenariæ cupiditatis fœditatem verteret. Abſit iſta puerilis imaginatio. Ibidem.

Quilibet amor eſt cardo affectuum omnium, quos Philoſophi in voluntate ſtatuerunt: vſque adeò, vt vbi amor fuerit, neceſſe ſit, prout re-

rum varietas voluntatem offendat, aut mulceat, animum in omnes voluntatis affectus, deſiderij, gaudij, odij, fugæ, triſtitiæ, ſpei, deſperationis, iræ, audaciæ proſilire.

Quo fit, vt ſi amor iſte charitas fuerit, (id eſt, ſi non malus) omnes iſti voluntatis motus è charitate prodeant, omnes boni ſunt atque laudabiles, omnes puri atque gratuiti, non minùs proles, atque ipſa mater, vnde naſcuntur.

LXXIX.

Cap. ſeq. QVISQVIS delabitur ab illa charitatis puritate, vt amore concupiſcentiæ incipiat velle & concupiſcere ſibi Deum, totum dilectionis ordinem, quem natura docet, & lex æterna præcipit, diligendi peruerſitate perturbat.

Abſit vt ita Chriſtianus propter retributionem operetur, ipſum Deum mercedem tanquam ſibi vtilem exſpectando.

Ex quo amore, qui in ſeipſo manens, Deum amando feratur in ſe, naſcitur vt etiam pœnas timeat. Sed ſicut ex illo timore nunquam aliquis iu-

ſtitiam Dei operabitur, quæ fieri non poteſt timore pœnæ, ſed amore iuſtitiæ, ita etiam ex illo concupiſcentiæ amore, nunquam iuſtitia diligetur, ſed homo manebit in ſe.

Totus Chriſtiani hominis curſus à prima diuini amoris inſpiratione ad extremum vitæ ſpiritum, non niſi amoris, hoc eſt charitatis, eſt curſus, ex qua & viuere & mori velle debet.

LXXX.

NVLLI vel pauci inueniri poſſunt, qui concubitum in coniugibus voluptatis cauſa licitum eſſe ſenſerint, vſque ad ætatem Scholaſticorum, qui ſuis argutiis libidinis retinaculum præcidendo, caſtiſſimam doctrinam immutare cœperunt. Qua in re viri boni & Catholici non aduertunt, ſe Pelagianos in hac doctrina ſuâ duces ſequi. Tom. 2. l. 2. de ſtatu naturæ lapſæ cap. 10.

Quid verò ſi prolis duntaxat cauſa, ſed non referatur expreſſè ad Deum tanquam ad vltimum finem, aut certè cum vxore, quæ per ætatem ampliùs concipere non poſſit, aut ſterilis ſit, etiamſi referatur ad vltimum finem, multo ma-

gis ſi agatur de coniugio infidelium?

Quod nonnulli de illius doctrinæ certa veritate dubitant atque trepidant, eo quòd matrimonium, non ſolùm ſuſcipiendæ prolis cauſa, ſed poſt lapſum etiam in remedium infirmitatis inſtitutum eſt, falluntur, &c.

Honeſtas matrimonij, quod materiam coniugibus licitam facit, eſt quaſi lectus mollior, in quem infirmitas cadit; ne cum ſua coniuge, velut cum aliena ſcelus fornicationis perpetrando, frangatur.

Cap. 14. Amare propter ipſum, hoc eſt propter delectationem, vitioſum eſt. Nam hoc eſt ille affectus ſeu cupiditas luxuriæ, quæ animis omnium luxurioſorum imperat.

---

§. VII.

De attritione & timore Dei.

LXXXI.

Tom. 3. lib. 5. cap. 33. QVOD propoſitum emendationis, aut bene viuendi, ex timore pœnarum concipi poſſe dicunt, *Catholici Doctores*, principiis Auguſti-

ni ſolidiſſimis, ex quibus Pelagiana hæreſis expugnata eſt, directè refragatur.

Præceptum bonum ex timore pœnæ, nequidem voluntate concupiſci poteſt, ſed ſola charitate; nam illa præcepti concupiſcentia, qua amamus id quod præcipit nobis, non eſt aliud quàm illa dilectio charitatis.

Quomodo ex ſolo timore pœnæ habetur voluntas emendationis, & propoſitum vniuerſa peccata relinquendi & obſeruandi totam legem Dei?

Falluntur ſine dubio, quotquot timorem pœnæ extollunt.

LXXXII.

IMPOSSIBILE eſt, vt ille, qui in peccandi propoſito conſtitutus eſt, ſola pœnæ formidine ita mutet voluntatem, peccatúmque deteſtetur, vt non peccet. Ibid. c. 27. & 28.

Impoſſibile eſt eum, qui peccandi voluntate detinetur, ſolo pœnæ timore mutare voluntatem, ſed hoc proprium officium eſt charitatis. Timor premit, non exhaurit cupiditatem; continet manum, non animum; qui

eodem modo ac ſi non timeret, peccato alicui affixus manet.

Tom.2. l.3. de ſtatu naturæ lapſæ cap.15. Impoſſibile eſt, vt ille non peccet, qui pœnæ timore non peccat, quandiu animus non mutatur, hoc eſt, quandiu timor ſolus animum à peccato abſtrahit. Talis enim animus nullo modo liber eſt, & alienus à voluntate peccandi: talis aliud habet in voluntate, quàm in opere: talis mallet facere, ſi liceret impunè: talis facit opus bonum coram hominibus, non coram Deo, quia non diligit id quod facit, ſed omninò aliud, quod timet amittere. Talis proinde reus eſt coram Deo, non de bona operatione laudabilis. Nam niſi animus in amorem iſtius boni, quod facit, ex timore mutetur, impoſſibile eſt vt faciat opus etiam moraliter bonum.

LXXXIII.

Tom.3. l.5. cap.29. In omnibus illis, qui ſolo timore pœnæ peccatum cauere volunt, manere voluntatis repugnantiam, qua nollent facere, ſi pœna tolleretur, & ex illa ipſa coniuncta voluntate omnes coram Deo peccati rei ſunt.

Quod colligitur ex natura timoris: quod enim ex metu fit, mixtum eſt ex voluntario & inuoluntario.

Scholaſtici Doctores difficulter poſſunt cum iſta doctrina conciliare opinionem ſuam, qua docent obſeruantiam præceptorum, & pœnitentiam ex gehennæ metu profectam, nihil malæ voluntatis admixtum continere.

Cùm omnis qui purè ex timore pœnæ præceptum facit, cogatur, & omnis qui cogitur eſſentialiter ſit inuitus, & nolit: impoſſibile eſt, vt ille, qui præceptum aut pœnitentiam ex timore pœnæ facit, non ſit inuitus, non animo nolenti, non repugnanti, & non mallet non facere, ſi impunè liceret.

LXXXIV.

TIMOR pœnæ non interficit præexiſtentem peccati voluntatem, &c. Ibid. c. 30.

Quidquid ex illo timore fecerit, nihil ex animo, nihil ex corde, nihil volenter, nihil coram Deo, ſed tantùm in ſpeciem coram hominibus operatur, hoc eſt non animo & voluntate peccatum fugit, aut bo-

num facit, ſed vtrobique gehennas fugit.

Quidquid tandem Doctores recentiores dicant, præceptum ſine Dei dilectione non ſolùm impleri non poteſt ſecundum modum, ſed neque ſecundum ſubſtantiam.

Qui coacti timore pœnæ iuſtitiam legis operantur, aut operari videntur, non ſunt amici rectitudinis, ſeu iuſtitiæ, hoc eſt ipſius Dei, ſed potiùs hoſtiles aduerſus eum animos gerunt.

LXXXV.

Ibid. c. 23. QVOD ſi quis quærat, vtrùm timorem ſempiterni interitus ſeu gehennæ Deus immittat homini, diffiteri non videmur poſſe, quin Deus eum in animo timentis operetur. Apoſtolus enim ad Romanos 8. opponit ſpiritum timoris, quo Iudæi Deo tanquam Domino ſeruiebant, ſpiritui amoris, quo filij ad Deum veluti patrem clamant. Ille Teſtamento veteri: hic nouo proprius eſt. Vterque tamen à Deo datus atque acceptus. Imò idem ipſe ſpiritus fuiſſe ſignificatur, qui propter diuer-

ſos effectus vtroque nomine nuncupatus ſit: ſpiritus ſeruitutis ſeu timoris, quia timorem per Teſtamentum vetus; ſpiritus amoris, quia amorem per nouum operatur.

Quamuis igitur fatendum ſit, Deum in cordibus hominum timorem pœnarum futurarum operari: nullo tamen modo arbitrandum eſt, quòd eum per illam veram Chriſti gratiam, propter quam infirmis hominibus largiendam crucifixus eſt, operatur. Vera Chriſti gratia ſpiritualis dilectionis & charitatis eſt gratia, quæ charitas cùm intrauerit, timorem, velut ſeruum, eiicit.

Operatur igitur Deus pœnarum timorem per aliam longè inferioris notæ gratiam, quæ fortaſſis gratiam peculiaris cuiuſdam ſiue externæ, ſiue internæ prouidentiæ & operationis non excedit.

Quiſquis ex diuinæ legis pœnas comminantis timore præcepta iuſtitiæ facit, non ex gratia Dei, ſed propriis viribus ea implere velle cenſetur.

Iuſtitia, quam non amore iuſti- Ibid. c. 32.

tiæ, ſed formidine pœnæ legem implentes, vel potiùs non implentes, operantur, eſt iuſtitia ſua, hoc eſt propria, non Dei; iuſtitia ex lege, non ex gratia, &c.

LXXXVI.

Ibid. c. 34. SCHOLASTICI, qui dicunt ſententiam ſuam de pœnarum timore in Concilio Tridentino ſatis euidenter tradi, non mediocriter hallucinari videntur. Tridentinum enim potiùs vice verſa, *ô ſingularem hominis impudentiam!* multis locis euidenter ſignificat, numquam iuſtificationis gratiam, ſiue extra Sacramentum, ſiue in Sacramento, tam Pœnitentiæ, quàm Baptiſmi, adultis dari, niſi contritio antecedat.

Quædam eſt contritio veri nominis, & rationis, & eſſentiæ, quæ tamen non niſi cum Sacramento ad iuſtificationem acquirendam ſufficit.

LXXXVII.

Ibidem. VNIVERSA Concilij doctrina de iuſtificatione clamat veram contritionem, ex qua fit cor contritum & humiliatum; verum peccatorum non gehennarum aut dolorum odium ac

deteſtationem, veram non peccandi voluntatem, veram iuſtitiæ dilectionem, ex qua oritur triſtitia ſecundum Deum, iuſtificationem quamlibet antecedere debere. Quorum profectò nullum ex dolore peccati propter ſolum gehennæ metum, ſed ex ſola illa contritione, quæ ex offenſionis Dei pio dolore fluit, proficiſcitur.

LXXXVIII.

FALLITVR quiſquis putat per Sacramentum Pœnitentiæ effectum eſſe, vt iam duplex ſit iuſtificationis modus; vnus per contritionem, alter per illam attritionem, quæ ex ſolo pœnarum timore de peccatis dolet. Sed vnus & idem ſemper eſt, & fuit, iuſtificationis modus per dolorem de offenſione Dei, quamuis Pœnitentiæ Sacramenti inſtitutio facilitatem aſſequendæ remiſſionis attulerit. Ibidem.

Pœnitentia quouis tempore etiam baptizandis neceſſaria continet abiectionem peruerſitatis & emendationem, deteſtatur magnitudinem offenſionis Dei, peccati odium infert,

pium animi dolorem complectitur, qua animus conuertitur ad Deum: quorum ne vnum quidem attritio ex ſolo gehennæ metu profecta comprehendit: nam neque abiicit emendátque peruerſitatem, ſed animum peccato affixum eſſe ſinit, aut facit, neque quidquam de Dei offenſione curat, neque peccati odium affert, neq; pium animi dolorem affert, &c.

LXXXIX.

Ibidem. DOCTRINA, quam Scholaſtici quidam tradunt, de dolore peccatorum ex ſolo gehennæ metu, non ſolum Auguſtini principiis fundatiſſimis, & per omnes eius lucubrationes diffuſis ex diametro repugnat, ſed etiam à Synodi Tridentinæ Patribus multis modis proſcripta eſt, *horrendum mendacium!* quam non perſpecta veritas, ſed ſola inutilis, imò pernicioſa erga peccatores miſericordia peperit. Nam quòd illam etiam diuo Thomæ, & aliis nonnullis grauioris notæ ſcriptoribus imponere volunt, hoc falſum eſſe non difficulter oſtendi poteſt.

XC.

XC.

Tota ista sententia in mera hallucinatione fundata est, nam imprimis docet Tridentinum materiam Sacramenti Pœnitentiæ esse contritionem, eámque ad peccatorum remissionem ex Dei institutione requiri. Significat istam attritionem esse veri nominis, & rationis contritionem, sed vt nominat imperfectam, quia animi dolorem & detestationem de peccato commisso, & propositum non peccandi de cætero, illi attribuit, quæ sunt ipsissima, quæ ad contritionem requisierat, & quibus duabus conditionibus ab huius imperfectæ contritionis, seu attritionis, essentia, reiicitur omnis illa attritio, quæ ex solo timore pœnæ, siue temporalis, siue æternæ, proficiscitur. Ibidem.

XCI.

Doctores Scholastici plerique docent omninò nos posse in aliquo actu ex solo timore pœnæ omne peccatum fugere ac detestari, ita videlicet, vt intentio vitandi pœnas fugam omnis peccati, ac detestationem, Ibid. c.27.

velut medium, aſſumat. Quam etiam tanquam attritionem ex timore pœnæ conceptam, diſpoſitionem idoneam eſſe volunt, cui cum Sacramento Pœnitentiæ peccatorum remiſſio & iuſtificatio tribuatur, prout Concilium Tridentinum videtur tradere.

Cap. 33. Admiratione dignum eſt, quod iidem docent, dolorem, quo quis de peccatis ex timore pœnarum infernalium dolet, eáque deteſtatur, quam attritionem vocant, eſſe ſufficientem diſpoſitionem ad iuſtificationem in Sacramento Pœnitentiæ, aut Baptiſmi, recipiendam. Dolor enim iſte, non maioris pretij eſt apud Deum, neque maiorem ad iuſtitiam acquirendam proportionem habet, quàm amor, quo quis integritatem ſui corporis diligit. Nam quod ipſi dicunt attritionem huiuſmodi in ſe continere voluntatem omnia peccata relinquendi, & falſum eſt, & impoſſibile; & quamuis verum eſſet, non tamen huiuſmodi dolor diſpoſitio ad iuſtificationem eſſe poſſet, &c.

§. VIII.

De veteri Lege Mosaïca.

XCII.

RECENTIORES, Philosophiæ potiùs humanæ, quàm Theologiæ diuinæ scita persequendo, dum legem Iudæis eo scopo datam esse putant, vt præceptorum eius luce eruditi faciliùs cauerent peccata, quæ anteà legis naturæ transgressione perpetrabant, non mediocriter hallucinari videntur. Tantum enim abest, vt lex institutionis illius, allatæque scientiæ de rebus agendis, cauendísque beneficio, maiorem afferret iustitiæ facilitatem, vt potiùs eam difficiliorem fecerit, & quasi muro quodam interposito impossibilem. Tom.3.l.1. cap.8.

XCIII.

SCHOLASTICI recentiores dicunt Deum hominibus dedisse legem bonam eo fine, vt per gratiam sufficientem, quæ semper præsto vnà cum lege aderat, eam obseruarent, caueréntque peccata: sed eos pro inge- Cap. 11.

X ij

velut medium, aſſumat. Quam etiam tanquam attritionem ex timore pœnæ conceptam, diſpoſitionem idoneam eſſe volunt, cui cum Sacramento Pœnitentiæ peccatorum remiſſio & iuſtificatio tribuatur, prout Concilium Tridentinum videtur tradere.

Cap. 33. Admiratione dignum eſt, quod iidem docent, dolorem, quo quis de peccatis ex timore pœnarum infernalium dolet, eáque deteſtatur, quam attritionem vocant, eſſe ſufficientem diſpoſitionem ad iuſtificationem in Sacramento Pœnitentiæ, aut Baptiſmi, recipiendam. Dolor enim iſte, non maioris pretij eſt apud Deum, neque maiorem ad iuſtitiam acquirendam proportionem habet, quàm amor, quo quis integritatem ſui corporis diligit. Nam quod ipſi dicunt attritionem huiuſmodi in ſe continere voluntatem omnia peccata relinquendi, & falſum eſt, & impoſſibile; & quamuis verum eſſet, non tamen huiuſmodi dolor diſpoſitio ad iuſtificationem eſſe poſſet, &c.

§. VIII.

De veteri Lege Mosaïca.

XCII.

RECENTIORES, Philosophiæ potiùs humanæ, quàm Theologiæ diuinæ scita persequendo, dum legem Iudæis eo scopo datam esse putant, vt præceptorum eius luce eruditi faciliùs cauerent peccata, quæ anteà legis naturæ transgressione perpetrabant, non mediocriter hallucinari videntur. Tantum enim abest, vt lex institutionis illius, allatæque scientiæ de rebus agendis, cauendísque beneficio, maiorem afferret iustitiæ facilitatem, vt potiùs eam difficiliorem fecerit, & quasi muro quodam interposito impossibilem. Tom.3.l.1. cap.8.

XCIII.

SCHOLASTICI recentiores dicunt Deum hominibus dedisse legem bonam eo fine, vt per gratiam sufficientem, quæ semper præsto vnà cum lege aderat, eam obseruarent, cauerént que peccata: sed eos pro inge- Cap. 11.

nita sibi libertate noluisse, ideóque propter neglectum datæ potestatis abundasse peccata.

Verum consilium Dei in danda lege fuit, non, vt per gratiam sufficientem, quæ adesset ipsis, eam obseruando rectè viuerent, sed vt multitudine peccatorum, & magnitudine præuaricationum, quæ per legem, quam implere non poterant, secutura sciebantur, eorum superbia frangeretur, &c. quò propter magis accensum ex legis vetito cupiditatis ardorem se superari sentit, & præuaricationis accessu multò deteriorem, fædiorem, maiorísque supplicij reum fieri, quàm antè fuit. Itaque ex vna parte lege comminante doctus, territus & conclusus, nihil illi reliquum superest, nisi vt exclamet, Reus sum, fateor, ægrotus sum, vincere volens peius victus atque prostratus sum, &c.

Quod paradoxum *meritò vocat*, Stoicis mirabilius, *& addere debuerat, omnibus Catholicis execrandum.*

XCIV.

Ibid. cap. 9. CARNALIS homo, qui legem ac-

cipit, quod lex iubet facere aut velit, aut nolit, vtrumuis fecerit, plerumque peccabit grauiùs, quàm sine lege peccauisset; grauiter quidem, si facere noluerit, periculosiùs si voluerit.

Diximus legis vetito ardorem cupiditatis magis accendi, quatenus efficitur dulciùs quod vetatur. Ex quo necessariò fit, vt faciliùs, & sæpiùs, & ardentiùs in peccatum, stimulante magis peccandi cupiditate, præcipitetur.

Lex iubendo tantùm, & non iuuando, vt homo impleat, quod iubetur, hoc ipso præuaricatorem facit: nam sine lege peccator fuisset, præuaricator neutiquam.

Lex non tollit, sed cumulat delicta, ideóque arctiùs hominem sub peccato, quàm anteà, cùm careret lege, concludit.

XCV.

Hæc doctrina, quia hominibus vim legis non satis penetrantibus, carnalique sensu peccatorum fugam metientibus, durissima semper visa est, aduersarios multos habuit. Non Ibid c. 10.

enim capit carnalium ſenſus, qui ſe libero arbitrio, & agendorum cauendorúmque cognitione cernit inſtructum, non ſe poſſe peccatum iam cognitum, à quo conſiliis, hortationibus, ſuaſionibus, legibus, ſuppliciiſque reuocatur, ſua libera voluntate, *per gratiam ex meritis Chriſti omnibus oblatam addere debuerat ex mente Catholicorum Doctorum*, declinare, ſed reatum ſuum potiùs adiecta legis præuaricatione cumulari, &c.

Lex talis infirmis hominibus data eſt, qua peccatis afflicti, grauiùs adhuc affligerentur.

XCVI.

Tom. 3. l. 3. cap. 5. IVDÆIS lex data eſt, & Chriſtianis plurimis præcepta dantur, ſine vlla gratia ſufficiente aut adiuuante.

Tradit reipſa homines gratiæ adiutorio, quod ad implendam legem neceſſarium eſt, caruiſſe, ideóque ſæuiente concupiſcentia, non niſi ſub præuaricatione iacuiſſe reos.

In Chriſtianis nonnullis ſubintrat præceptum, vt abundet delictum, & fit eis virtus peccati lex, dum gratia ad legem implendam adiuuans

ſubtrahitur ac differtur.

Fuit quidam ſub lege ſtatus, in quo non ſolùm non dabatur gratia ſufficiens implendi id, quod iubebatur; multò minùs gratia ſufficiens ad ſalutem; ſed è contrario talis gratia lationi legis ac ſcopo Dei capitaliter repugnabat.

Legiſlatio illum habebat ſcopum, vt inſonante præcepto, ac terribiliter pœnas, niſi hoc facerent, comminante, gratiæ neceſſitatem ipſa gratiæ adiuuantis ſubtractione docerentur.

XCVII.

TVNC ſubtrahitur gratia ſufficiens, cùm Deus non præbet homini, vt animus legis impletione delectetur, ſed ſinit eum carnalibus delectationibus ſecundum terrenarum rerum cupiditates rapi. Ibidem.

Nec aliquis opponat iſti veritati, orari ſaltem poſſe, vt iſta delectatio, quâ ſufficiat implendæ legi, diuinitùs tribuatur. Nam etiam ad orandum quàm maximè delectatio neceſſaria eſt, quæ non magis, quàm cæteræ, noſtræ poteſtatis eſt, ſed à

Deo per gratiam, *quæ sit vel efficax, vel saltem sufficiens ex mente Catholicorum*, donari debet.

Non solùm Iudæis, sed & Christianis, non solùm carnalibus, sed & spiritualibus gratia sufficiens ad id faciendum, quod iubetur, frequenter subtrahitur; atque ita subtrahitur, vt nec pro tali gratia adipiscenda deprecandi similis sufficiens gratia habeatur.

Gratia sufficiens sine errore alia dici non potest, quàm illa, quæ voluntatem facit facere, & in ea operatur reipsa velle & operari.

XCVIII.

Ibid. cap. 6. NIHIL spiritale in veteri Testamento promittitur, sed sola carnalia, quæ veteri homini ac vitæ congruunt, diuitiæ, opulentia, victoriæ, pax temporalis, regnum, gloria, & huiusmodi.

Testamentum illud non ea de causa dedit Deus, vt per illius promissiones, & obseruationem eorum salus æterna in tuto collocaretur, vel etiam de propinquo curaretur; sed ne res carnales, quas carnali vitiosóque

amore diligebant, à dæmonibus quærerent.

Tota ſpes, tota charitas eorum erga Deum; totúſque cultus erat carnalis, ideóque vitioſus. Nec pro hac tantùm vitâ, ſed & pro futura, hoc ipſum ſperabant à Deo, quod in iſta diligebant, & quo nihil altius, vel amare poterant, vel cogitare.

Synagoga conſiderata, vt Synagoga, non erat aliud, quàm terreni populi turba, hominúmque carnalium congregatio ſolis terrenis & carnalibus incubantium, & propter illa ſola colentium vnum Deum.

Teſtamentum vetus ad animæ ſalutem, regnúmque cælorum aſſequendum Synagogæ filiis Teſtamenti illius heredibus non multùm profuit, *imò ſi cohærenter loqui velit, nihil omninò, cùm potiùs obfuerit*, nec aliud fuit, niſi magna quædam quaſi comœdia.

Filij veteris Teſtamenti Decalogum carnaliter boni cuſtodiebant, vel potiùs ſibi cuſtodire videbantur; mali etiam apertè violabant: ex iſto amore atque timore carnali templa,

ſacrificia , Sacramenta frequentabant, &c.

Filij veteris Teſtamenti non multùm Gentilibus præſtiterunt ; amor enim huius mundi , amor fruendi creaturis in vtriſque dominabatur: ſed in eo tantùm , quòd boni Iudæi à Deo vero , non ab idolis ac dæmonibus, vt Gentes, impiíque Iudæi, concupitam promiſſámque felicitatem expectarent.


XCIX.

Ibid.c. 7. & 9. Ex veteri Teſtamento non maior Iudæis ſeruandæ ſpiritualis legis facilitas accedebat , quàm antequam illud ſuſcepiſſent.

Non oritur ex aliqua poſitiua lege Dei, non ex aliqua extranea boni operis conditione,qua debeat eſſe ſupernaturale ſecundum ſubſtantiam, vel modum , aut meritorium , aut aliquid eiuſmodi, ſed ex ipſa natura rei, eo quòd nullum præceptum impleri poſſit , vllius rei alterius amore, quàm dilectione iuſtitiæ , quæ præceptum ſanxit , & ex qua latum fuit. Hæc autem iuſtitia in præcepto diligendo non eſt alia , niſi illa

incommutabilis & æterna regula æquitatis: nec illa eſt alia, niſi veritas & ſapientia Dei, atque ipſe Deus.

Lex etiam cum gratia ſufficienti auget peccandi deſiderium, oſtendit peccata, non ſanat; non prodeſt, ſed obeſt; fruſtrà ſonat auribus; denique ad hoc tantùm eſt, vt præuaricationis reum faciat, eóque magis, quòd illa, quæ Apoſtolus & Auguſtinus de lege dicunt iuxta Scholaſticorum ipſorum ſuffragium prorſus falſa ſunt, niſi gratia illa ſufficiens legi adeſſe ſtatuatur. Putant enim impoſſibile eſſe, vt lex faciat abundare peccatum, iram operetur, occidat, &c. niſi adſit ſimul gratia ſufficiens, ſine qua, inquiunt, homo non eſſet peccati reus, &c.



§. IX.
De transfusione peccati originalis.

C.

Tom.2.l.1. cap.5.

RECENTIORES excogitarunt nescio quod pactum, quo Deus omnes posterorum voluntates in primi parentis voluntate collocauerit; ita vt, quemadmodum voluntas eius esset futura voluntas omnium in custodienda ac transfundenda iustitia, ita quoque præuaricatio eius omnium esse censeretur. Quapropter nihil aliud ad peccati transfusionem postulant, nisi vt humana natura ex Adam vera generatione descenderit. Nam hoc ipso, quo homo ex primo homine via generationis effluit, reum putant, cùm ei transgressio hoc ipso fiat voluntaria.

Verùm hoc pacto nihil ab Augustini mente alienius, & in eius doctrina absurdius, & principiis eius repugnantius excogitare potuerunt ; vt

ſi verum ſit, vniuerſam doctrinam eius de peccato originali neceſſe ſit corruere.

C I.

Ibid. cap. 6.

PECCATVM originale, non aliter ex homine primo ad poſteros propagatum eſt, nec verò aliter propagari vllo pacto potuit, niſi per libidinem, ſeu carnis concupiſcentiam.

Vt peccatum primi hominis propagari poſſit, non eſt ſatis, quòd ab illo humani generis capite peccatum ſit, ſed vt per peccati illius magnitudinem vniuerſa natura vitiaretur per concupiſcentialem illam legem, quam in membris accepit. Per hoc enim fit, vt illa lege, ſeu illo naturæ vitio propagato, etiam ſimul peccatum originale propagetur.

Magnitudo peccati primi cauſa fuit corruptionis naturæ, & corruptio transfuſionis; & ita omnia nullo ex pacto, ſed ex ipſa rerum natura contingunt, quod & filij in parente peccaſſe, & illi cum ipſo vnus fuiſſe dicuntur. Nimirùm quia ſtirps ſiue radix ipſa vitiata eſt, ex qua fuerat propago ducenda; qua ſemel vi-

tiata rerum natura poſtulat, aut patitur, vt huiuſmodi radicis vitium in fructibus inde naſcentibus oſtendatur.

Ita vitium originale in poſteros eſt propagatum, quemadmodum ſi fons, vel radix arboris vitietur, neceſſe eſt omnes aquas inde promanantes, & omnes fructus inde naſcentes primæuam illam originis redolerę corruptionem, niſi vitium ab ipſo fonte primitùs, & à radice tollatur.

CII.

Ibid. capp. 11. 12. & 14.

SI per ſolam concupiſcentiam carnis peccatum originale non traiicitur, præcipui & erudítiſſimi libri Auguſtini numero facilè tredecim velut inanes ac futiles reiiciendi ſunt: falſis & fallacibus armis Eccleſiæ victoria non tam ſtetit, quàm periit; non tam ab Auguſtino parta eſt, quàm prodita.

Tota cauſa peccati originalis ab illo principio religatur, quod in commixtione coniugum duo conſideranda ſint, commixtio & pudor eius; nuptiæ, quibus legitimè iunguntur coniuges, & concupiſcentia carnis,

qua ſtimulante iunguntur : illud eſt bonum, hoc malum : illius Deus, huius Diabolus eſt author: illo natura, hoc peccata propagantur.

Pactum hîc affingere non eſt aliud, quàm purgare parentes, & culpare Deum, qui peccatores propria voluntate conſtituat. Hinc eſt, quòd neque Auguſtino, neque vlli veterum vſque ad tempora Scholaſticorum vllius pacti in mentem venerit.

Sicut impoſſibile eſt, vt defectus aliquis corporis à parentibus in filios generando fundatur, niſi defectuoſum aliquid in aliquo generationis principio antecedat : ita multò magis impoſſibile eſt, vt defectus animæ, qui peccatum eſt, in prolem à parente tranſeat, niſi ſimilis vitioſitas in generante reperiri queat, vnde culpa propagetur.

Tanquam veritatem Catholicam & ſententiam Eccleſiæ docuit hoc Auguſtinus.

CIII.

QVAMVIS eadem iuſtitia atque felicitas, quam Adam acceperat, poſteris, eo ſtante, fuiſſet largienda; Ibid. c. 16.

non tamen ex vllo perseuerantiæ pacto, sed ex eadem libertate ac liberalitate, *hoc est, ex eius principiis, indispensabili necessitate ac debito*, qua eam parentibus eorum Deus naturam condendo & gratiam largiendo concesserat.

Igitur ex natura rei, non ex vlla positiua Dei vel Adami voluntate posterorum voluntates in sua positas continente, factum fuit, vt peccatum vnà cum natura in prolem transeunte transiret; non secùs ac subinde cæcitas, podagra, aliáque parentum vitia cùm affectuum, tum corporum, transfunduntur.

CIV.

Ibid. c. 20. RADIX prima, vnde oritur vitij propagatio, non est natura, non coniugium, non Deus, sed naturæ vitium, concupiscentia, quæ ita intimis medullis eius consperſa & innata est, vt non solùm hominem primum peccantem, sed & naturam totam, adeóque ipsum carnale semen vitiauerit, quo natura in posteros traducenda est.

Causa vera tantæ mutationis in Ada-

Adamo fuit peccati illius primi magnitudo: rupto quippe vinculo, quo colligabatur Deo, toto impetu collecto voluntatis, Deo ipſum non ampliùs retinente, ſed in vindictam deſerente, deorſum in ſui ipſius rerúmque creatarum amorem præcipitatus eſt. Et ex illo dilectionis impetu pondus concupiſcentiæ, velut veſtigium præcedentis voluntatis, in appetitum ſenſitiuum, quem ſecum rapiebat, impreſſum eſt: quo iam libêret ac delectaret creaturis concupitis frui, quas antè ſine vllo libidinis motu, ſola, ſummáque arbitrij libertate concupierat.

Solum illud primum Adæ peccatum, non cætera in poſteros transfunduntur, eo quòd illud ex ſumma animi libertate profectum profundiſſimam plagam naturæ inflixerit.

CV.

Si Adam concupiſcentiam illam per gratiam benè viuendo in hac vita tollere potuiſſet, nullum quoque peccatum propagaſſet in poſteros; ſicut nec ille propagaret in filios, cui per inuſitatum miraculum Deo ope- Ibidem.

rante tolleretur. Quod quia fieri nullo pacto poteſt, hinc primum peccatum cum ipſa natura per concupiſcentiam pertinaciſſimè vitiata, quaſi proprietas eius transfunditur; cætera tanquam perſonæ, non totius naturæ, accidentia, nequaquam. Illa enim concupiſcentia totam ſpeciem, hæc indiuiduum mutant: ſpecificæ verò non indiuiduæ conditiones transfundi ſolent.

Addit traduci amorem illum ſui, qui non eſt aliud, quàm generalis amor mundi in Auguſtino celebris, velut omnium regina vitiorum, & quem Adamus contraxit, cùm eius voluntas effrænato robuſtiſſimóque impetu amauerit ſe, & priuatum ſuum bonum, relicto Deo.

CVI.

Ibid. c 22. QVALITAS illa, quæ in prolem propagatur, carnem afficit; hoc eſt non ſpiritum aut voluntatis apicem: ſed aliquid animæ, quod carni mixtum eſt, ipſáque inferius voluntate, poſſidet.

Lex peccati ſeu concupiſcentia ad carnem, ad corpus mortis, ad mem-

bra pertinet, dum illam legem in membris vocat Apoſtolus, & habitare in carne, & corpus mortis ab ea redimendum eſſe teſtatur. Quomodo ergo lex iſta in carne eſt, niſi quia animam, quatenus per appetitum illum inferiorem carnis operatur, captiuam tenet?

CVII.

LIBIDO, ſeu rerum quarumlibet terrenarum quaſi habitualis concupiſcentia ex Adamo propagata, non minùs paruulos quàm Adamum, ſimulatque Deum peccando deſeruerat, captiuos tenet, & arbitrium ita ligatum ſub ſe poſſidet, vt niſi gratia diuina vires eius fregerit, & mentem ab eius vinculis erutam, & à creaturis auulſam in Deum Creatorem eius infuſa charitate conuerterit, nihil omninò euigilante per ætatem ratione facturi, dilecturi, cogitaturi ſint, niſi quod rerum creatarum delectatio ſeu libido perſuaſerit. Ibid. c. 23.

Per concupiſcenriam ſeu libidinem peccatum originale propagatur à carne in ſpiritum nihil agen-

do, ſed ſpiritum ſeruitute miſerabili à Creatore ad creaturas auerſum detinendo.

Certum peccatum originale eſſe concupiſcentiam: certum per illam, ſiue reatus eius baptiſmo expiatus fuerit, ſiue non fuerit, peccati reatum in poſteros traiici: certum hoc non fieri ex vllo poſitiuo Dei pacto, ſed ex inquinatione, qua iure talis propagationis anima maculatur. *Quàm verè gratis ac temerè iſta proferantur ab audaciſſimo Scriptore, pauciſſima aut vulgaria multis & intricatiſſimis ſententiis inuoluente, diſces ex ſequenti epiphonemate, quod difficultatis totius nodum ac robur intactum complectitur.*

Quo verò pacto auerſio iſta mentis à Deo paruulis ſit culpabilis, & reatum faciat, ita vt etiam pœna digni ſint, ad fontem totius torrentis humani generis, primi parentis voluntatem, vnde amaritudo naſcitur, aſcendendum eſt. In illo namque, & non aliter, voluntaria eſſe poteſt. *Quæ certè veriſſima ſunt, ſed niſi ad pactum cum Doctoribus Catholicis confugias, vix explicanda.*

§. X.

De reprobatione & damnatione.

CVIII.

IVXTA doctrinam S. Augustini nulla respectu Angelorum, aut hominum, negatiua reprobatio est fabricanda. Positiuæ verò reprobationis, qua Deus in eo signo, quo aliquos à perditione liberandos elegit, cæteros indignos liberatione, vult in perditione relinquere, & ab æterna vita excludere, vera causa est peccatum originale, quo periisse, & damnationem istiusmodi meruisse præuidentur. Tom. 3. lib. 10. c. 3.

Quod Scholastici putant Deum post hominum lapsum habere adhuc voluntatem saluandi omnes omninò, nemine excepto, & ex illa voluntate omnibus etiam reprobis sufficientem, non solùm redemptionem, sed etiam gratiam præparasse, ab Augustini doctrina prorsus dissentaneum est.

Quod si verè loquamur de illa po-

ſitiua reprobatione, qua præuiſo vitæ fine, & peccatorum omnium multitudine ſuppliciis æternis eos Deus cruciandos eſſe conſtituit, iſtius cauſa formaliter ſunt peccata omnia, cum quibus & in quorum reatu morituri ſunt; radicaliter etiam peccatum originale. Nam ex illius ſuppliciis concupiſcentia, & cæcitate, ac deſertione Dei, quidquid peccatorum à reprobato perpetratum eſt, acceſſu liberæ voluntatis, fluxit, vt proinde tota illa ſuppliciorum concatenatio vſque ad vltimam damnationem in ignem æternum radicaliter & mediatè in peccati originalis meritum referenda videatur.

CIX.

Ibidem. MANIFESTISSIMVM eſt, non aliam agnoſcere S. Auguſtinum reprobationis cauſam, niſi maſſæ perditæ meritum, ſeu peccatum originale, quo tota maſſa periit: Et hoc eſſe cauſam, non tantùm negatiuæ reprobationis, ſeu non prædeſtinationis, ſed etiam poſitiuæ, qua videlicet tanquam indignus repellitur ab æternæ vitæ ſeu regni cæleſtis bene-

ficio, siue iste paruulus vel adultus fuerit, siue ad tempus iustificandus, siue in iniquitatibus tota vita mansurus.

Nam vt aliquis ex perditionis massa liberetur, ad tempus iustitiam accepisse non est satis, sed eam ad finem vsque vitæ retentam esse oportet.

Ista liberatio multos gradus habet, inspirationem, fidem, remissionem peccatorum, infusionem charitatis, & efficax adiutorium, quo rectè operetur, perseuerantiam, qua in bonis operibus ad finem vsque permaneat: omnis denique concupiscentiæ & caritatis abolitionem; quarum si vel vnam pro beneplacito suo Deus dare nolit illi, cui nihil eorum debet, non solùm in massam perditionis, sed etiam in statum perditionis sine dubitatione relabitur.

CX.

QVOD obiiciunt quidam ex Concilio Tridentino, & Catholica fide, per baptismum homines totius culpæ originalis deletione purgari, ni- Ibidem.

hilque eſſe damnationis iis qui ſunt in Chriſto IESV, ac proinde non poſſe dici quod reprobi, quibus iſtud peccatum dimiſſum fuerit, propter peccatum originale damnentur, nihil iſti doctrinæ nocet.

Nam, quamuis verum ſit in multis, *viden' aſtutam vulpem, vt ſe ſuúmque Caluinum tegere ſtudeat aduerſus certiſſimam Concilij Tridentini definitionem*, originalem culpam Chriſti baptiſmate deleri, culpámque ſemel deletam, non iterùm relabendo reuiuiſcere, nec propter illam iam deletam immediatè poſſe eos regno cæleſtis hæreditatis excludi, ſimul tamen ſtabile, veriſſimúmque manet propter illam culpam, originalem, cui obnoxius homo iacuit, noluiſſe Deum ipſi totale beneficium liberationis decernere, & à perditione, ſic vt eam reipſa euadat, liberare, hoc eſt noluiſſe ipſum à perditionis maſſa gratiæ ſeu beneficiorum ſuorum prædeſtinatione diſcernere: & proinde voluiſſe eum finaliter in perditione relinquere.

Quod eo magis originali peccato

imputari debet, quia concupiſcentia, ex qua relapſus ille pereuntium naſcitur, ſic eſt originale peccatum, vt quamuis reatu tranſierit, actu tamen maneat, & hac de cauſa, & quia ex peccato nata eſt, & ad peccatum prouocat, peccatum etiam ab Apoſtolo nominetur. *Reſtat adhuc ſoluendum, an reprobus, qui baptizatus fuit, damnandus ſit propter concupiſcentiam actu tantùm manentem, quo modo non poteſt dici peccatum originale, niſi in Caluini ſententia, an verò propter concupiſcentiam actu & reatu exiſtentem, qualis erat ante baptiſmum, quo ſenſu dici ab eo videtur peccatum originale.*

CXI. Ibid. c. 4.

FALLVNTVR qui putant hoc eſſe à perditionis maſſa diſcerni, quod in tempore peccati remiſſione iuſtificari: vel hoc eſſe æterno Dei decreto à perditione diſcerni, quod ad peccati remiſſionem eligi aut prædeſtinari.

Ex ira contra peccatum originale concepta iam ab æterno factum eſt, vt multos eorum voluerit Deus ex integro liberandos à perditione diſ-

cernere, & ex eadem etiamnum fit, vt ſi quos temporaliter inde per fidem, aut peccati iſtius remiſſionem aliqua ex parte diſcreuerit, in eundem ſtatum damnationis relabuntur.

Cur ex duobus, quorum vterque originali culpa maculatus eſt, hic, non iſte, reprobetur à Deo, rei illius nulla omninò cauſa ex parte hominis eſt, ſed pendet à puro beneplacito Dei, &c.

CXII.

Cap. 5. PRÆTER excluſionem à regno Dei æternámque damnationem effectus reprobationis ſunt, excæcatio & obduratio illorum, qui ad interitum parati ſunt, deſertio & derelictio, traditio in deſideria cordis ſui, &c.

Cùm aliquem Deus propter iniquitatem, in qua natus eſt, puniendum eſſe decernit, & per hoc ipſum reprobat, quidquid pœnarum in hac vita ſequitur, vel immediatè, vel mediatè, iudicij iſtius reprobationis effectus eſt. *Ergo id de peccatis quoque actualibus dicendum erit: Quæ monſtra, Deus ſancte! quàm horrenda! vt ad hæc ambæ aures iuſtis tinnire debeant.*

CXIII.

LIBERATIO à massa perditionis nullo modo solam peccati remissionem respicit, sed omnium omninò malorum depulsionem, quæ pœnaliter ex originali damnatione toti massæ perditionis inflicta sunt, nimirùm non solùm culpæ, sed & ignorantiæ illius profundæ & cæcitatis, æternæ denique damnationis, in quam nemo iam semel iustificatus relabitur. Ibid. lib. 9. cap. 9.

Quisquis non ex omnibus malis, quæ ex originali damnatione contracta sunt, eruitur, sicut non liberatur in tempore, nec discernitur reipsa à massa perditionis, sed in illa, tametsi semel iustificatus, perit; ita nec ab æterno ab illa massa perditionis prædestinatione Dei discretus fuit. *Ergo qui baptizatus est ac iustus, Dei filius atque heres vitæ æternæ, regeneratus in Christo, factusque eius viuum membrum, verè adhuc in massa damnationis iacet, Deo exosus est, Diaboli, damnatorúmque socius, æquè atque ante baptismum, & cùm in peccato mortali postmodum morietur.*


Quemadmodum, qui ex puteo, in quem cecidit, *alterius culpa*, ab alio gratis liberari debet, non eſt liberatus, dum ei funis datur & extrahi ex parte cœpit, ſi propria malitia vel infirmitate ex caſu voluntario contracta relabatur: *Verum id quidem eſt, ſi qui funem dedit eo ſine eáque intentione dederit, vt alter ex puteo reſurgat, & non per eum ſteterit, quominùs alter fune vtatur: ſed ſi, qui funem porrigit, eo ſine porrigat, vt lapſus non aſcendat, nolitque lapſum liberari, ſed cum fune apprehenſo aſſurgere magna diligentia cœpit, funem præſcindat nulla noua aſcendentis culpa prouocatus, quis ei vitio vertat, quòd non fuerit liberatus ex puteo?* ita nec ille à maſſa diſcretus eſt, qui tantummodo peccati remiſſione decernitur purgandus: ſed qui omnium pœnarum ex damnatione originali inhærentium abolitione iuſtificandus, & in antiquum ſtatum reparandus, in quo innocens maſſa ex Dei creatione & ſanctificatione fuit. *Ergo nemo etiam ſanctorum in hac vita, nec ipſa B. Virgo, quæ in ſententia Baianorum originali peccato infecta eſt,*

cùm propter peccata propria mortem obierint, multáque fuerint perpeßi, à massa damnationis fuerunt liberati: nemo quippe dicere audeat eos ante mortem in antiquum statum reparatos, in quo innocens massa, hoc est Adamus & Eua in Paradiso terrestri, *ex Dei creatione & sanctificatione fuit.*

CXIV.

DEMONSTRATVM fuit paruulos absque baptismo ex hac vita decedentes, pœnis, non tantùm damni, sed sensibilibus & quidem æterni ignis plecti. Tom. 1. lib. 2. de statu naturæ lapsæ cap. 25. sub fin.

Longè ab Augustini, & fortassis Ecclesiæ, quæ Pelagianos iuxta eius principia damnauit, mente recesserunt Scholastici, qui paruulis sine baptismo morientibus immunitatem à sensibilibus ignis æterni pœnis tribuerunt.



§. XI.

De ſtatu naturæ puræ atque integræ.

CXV.

Tom.2. l.1. de ſtatu puræ naturæ cap. 3.

CERTVM eſt ex ipſa naturæ rationalis inſtitutione proficiſci, & in eius eſſentia fundatum eſſe, vt amorem ſuum ſoli Deo ſummo principio, & vltimo fini ſuo debeat, nec eum poſſit vlla ratione, vlla diſpenſatione, vlla naturæ ſuæ vel eleuatione, vel depreſſione, ad ſeipſam, vel ad inferiora conuertere. Hoc enim ipſa æterna & immutabili Dei lege dictante & damnante peccatum eſt, & ex illa radice omnis peccati ratio, quæ vel in hominibus, vel in Angelis, inuenitur, aut inueniri poteſt, proficiſcitur.

Non poteſt creatura rationalis ſine amore Creatoris produci, &c.

Scio equidem confeſtim hîc Scholaſticorum cogitationibus occurſuram ſolemnem illam diſtinctionem ſuam de amore Dei naturali & ſuper-

naturali, &c. *quæ suprà propositione 75. descripsimus.*

CXVI.

DOCTRINAM hanc, si quis abie- Ibid.c.4.
ctioribus Aristotelicæ Philosophiæ conceptibus, *ita vir modestissimus Doctores Scholasticos compellat*, assuetus, fortasse minùs capit, sciat ille in Augustino esse solemnissimam, celeberrimam, creberrimam, certissimámque, &c.

Perspicuum est naturam rationalem non posse sine dono gratiæ supernaturalis institui.

CXVII.

DOCTRINA ista præclarissima, & Ibid.c.5.
ex profundissima veritatis penu hausta quibusdam Neotericis nimis incredibilis videtur, & Aristotelis principiis nimis aduersa.

Ne quis verò in exoticas cogitationes de iustitiæ dilectione incidat, vt suspicetur nescio quas præcisiones supernaturales, sub quibus diligenda sit iustitia, &c.

Omnis possibilitas status puræ naturæ funditùs euertitur.

CXVIII.

Ibid. cap. 17. & 19.

CREATVRA rationalis non poteſt à Deo ante omne peccatum, tam alienum, quàm proprium, ſine caſto amore produci: hoc ipſo enim, quo ſine culpa ſua non acceperit ſufficientiſſimam facultatem adhærendi Deo, ſi non adhæſerit, ſed ab eo ceciderit, culpâ caritura eſt; ipſéque caſus eius ita Creatori erit imputandus, vt non foret culpa cadentis creaturæ, ſed inſtituentis Dei.

Non poteſt creatura rationalis nulla omninò iniquitate præeunte ſine iuſto amore Dei ac ſupernaturali condi, &c.

Status animi ſine bona voluntate, ſine charitate, ſine ſapientia conditi non poteſt auctorem habere Deum. Deo enim eſſet voluntarius non creaturæ: vnde Deo non creaturæ imputari deberet peruerſitas eius, & quidquid ſcelerum ex illa creatæ voluntatis inſtitutione naſceretur, quæ quidem eſſent materialiter ſcelera creaturæ, vera tamen ſcelera Dei.

CXIX.

Ibid. cap. 18. & 20.

AMOR Dei ſupernaturalis, vel amandi

amandi poteſtas citra culpam ſubtrahi nequit creaturæ rationali inculpatæ.

Puritas à peccato, & innocentia naturalis, non poteſt ineſſe naturæ rationali ſine gratia adoptionis atque ſanctificationis.

Nihil connaturalius innocenti imagini Dei, cum capacitate Dei naturaliter conditæ, quàm gratia.

CXX.

CREATVRA rationalis non poteſt miſeriis, quantumuis minimis, affici à Creatore ſine culpa. Non ergo poteſt creaturam innocentem à regno cælorum & æterna vita, quam diligit, ſine eius culpa ſeparare. Ib. l. 2. c. 4.

Deus immediatè regnum cælorum, ſeu claram viſionem in regno ſuo non debet creaturæ rationali innocenti, licèt eam non poſſit condere cum illa phantaſtica beatitudine & Philoſophica, quæ ei in ſtatu puræ naturæ attribuitur, & vera miſeria eſt; ſed vel immediatè in beatitudine perfecta regni Dei, vel in quadam beatitudine decoloratiore ſine omni miſeria, à qua deficere poſſit,

& in qua manere, ſi voluerit, vtrumlibet habens in ſua poteſtate, ſine vlla interna concupiſcentiali tentatione ad malum.

CXXI.

Ibid. c.14. DESIDERIA peccatorum, non tantùm deliberata, ſed etiam talia, quæ rationem anteuertunt, ſunt mala, illicita, turpia, & per hoc nullo modo poſſunt eſſe creaturæ rationali naturalia, ſeu naturaliter ex Dei inſtitutione naturam comitantia.

Impoſſibile eſt, vt concupiſcentiarum deſideria licita, aut bona ſint, imò & non mala.

Sed eſto, detur puræ naturæ gratia, qua peccandi motus frænare poſſit, & ratione moderari, & iis non conſentire, ſi velit, non tamen idcircò malitia importunæ illius cupiditatis abſterſa eſt.

Concupiſcèntiæ effrænes motus non aliud ſunt, niſi deſideria peccatorum, & ſiue frænentur, ſiue laxentur, ita manifeſtè mali ſunt, vt inſaniæ ſit contrarium velle ſuſtinere. Ex quo ſequitur eos non poſſe eſſe naturaliter bonos, nec vllo modo

à Deo creante puram naturam conferri posse creaturæ, statúmque illum esse Deo iniuriosum & impossibilem. Ipse enim esset, qui creaturam suam aduersus honestatem & veritatem impelleret, ipse qui eam quantum est ex se in illa peccandi desideria præcipitaret.

CXXII.

IGNORANTIA iuris naturalis, cum qua nunc damnata hominis natura nascitur, tam est contraria creaturæ rationali, & ita mala, vt quidquid inde nascitur, hominem culpæ reum faciat. Non potest ergo fieri, vt homo in illis horrendis tenebris à Deo condatur, antequam eas aliqua iniquitate promeruerit: nam alioqui nulla ratio est, cur non ipsi Deo tota illa iniquitas, quæ ex tenebris illis nascitur, ac nasci debet, optimo iure transcribatur. Ibid. c.22.

Huiusmodi ignorantiæ lapsus, non esset lapsus humanæ naturæ, sed naturalis conditionis motus, sicut neque consensus nefariarum quarumcumque libidinum essent peccata.

Scholasticos in hac re tantum à

veritatis tramite discessisse necessarium est, quantum ab Augustini doctrina discessere.

CXXIII.

Ibid. lib. 5. cap. 5.

Longe horribilius & intolerabilius illud alterum paradoxum plusquàm Stoicum, quo nonnulli, veluti de Diuinitatis arcanis magis instructi, dicere ausi sunt, si beatos omnes Deus, nullo excepto, *eadem ratio est de omnibus omninò ac de minimo quoque*, ad æternas deiiceret pœnas, nullam iis iniuriam esse facturum; eo quòd quidlibet de nobis statuat, perdat, damnet, in nihilum redigat, iure hoc faceret suo. Quo nihil absurdius, nihil iniustius, nihil crudelius aduersus Deum dici potest: eò tamen Scholastici, *hoc est, Catholicæ Ecclesiæ filij ac defensores*, effræni quadam Philosophandi licentia proruperunt, vt Deo tantum nefas attribuerint.

Pœnæ sensus nullo modo infligi potest creaturæ rationali absque peccato.

CXXIV.

Ibid. c. 13. 15. 21.

Deo per statum puræ naturæ ad-

ſcribitur crudelitas improbata in Manichæis.

Idem concluditur contra Scholaſticos, qui animas innocentes in puræ naturæ ſtatu ad vitæ miſerias mitti poſſe contendunt.

Crudelitatem, vel etiam iniuſtitiam ſpirat, innocentem animam nulli peccato obnoxiam immeritò ad tantas miſerias, quantas commentitius puræ naturæ ſtatus implicat, condemnare.

Ex malis puræ naturæ cogimur ad diuerſas impietates, ad blaſphemiam in Deum, ad Manichæiſmum, &c.

Sine ſummi boni dilectione ab opptimo, omnipotentiſſimo, iuſtiſſimóque Deo creari nullo pacto poteſt, &c.

Deus, quantumuis abſolutæ poteſtatis, vitæque & mortis dominus ſit, creaturæ rationali innocenti nullam omninò pœnam, quantumuis exiguam, ſine iniuſtitia inferre poteſt, &c.

CXXV.

NEQVE volitiones, neque actiones Angelorum, hoc eſt, neque me- Tom. 3. l. 9. cap. 10.

rita, neque perseuerantia meritorum, fuerunt specialia Dei dona: hoc est, non eis Deus speciali donatione seu gratia largitus est.

Quamuis non sine gratia rectè vixerint, & in bonitate steterint, per vires tamen liberi arbitrij rectè vixisse, & stetisse dicendi sunt.

Merita Angelorum fuerunt merita liberi arbitrij, & humana, & sua: non quasi puris naturæ viribus, sine influxu supernaturalis gratiæ, sed quia non fuit tunc gratiæ, sed voluntatis facere, vt innocentes vellent: quemadmodum nunc è contrario non est voluntatis, sed gratiæ facere, vt lapsi velint: ideò dicenda merita naturæ, liberi arbitrij, humana, &c.

CXXVI.

Ibidem. NEQVE vita æterna fuit Angelis gratia specialis, sed merces meriti: nunc è contrario gratia Dei est, non solùm meritum, sed & vita æterna, quia gratia est nobis omne meritum, cui & vita æterna datur. Meritum enim & meriti præmium se inuicem ita respiciunt, vt si meritum sit spe-

cialis gratiæ donum, etiam præmium donum ſit; & è contrario, ſi meritum non ſit ſpeciale donum, præmium quoque non ſit ſpeciale donum, ſed propriè merces meriti.

Veriſſimum eſt Angelos non eſſe prædeſtinatos vel electos ad merita, quibus beatitudinem adepti ſunt, prædeſtinatione vel electione gratiæ: & idem iudicium de primo homine, ſi in bonitate manſiſſet. Cauſa eſt, non quòd Angeli, vel primus homo, non indiguerint gratia ad merita ſua, vel opera, vel voluntates bonas; ſed quia talis gratia, quâ indigebant, vt non donaret eis merita, ſed relinqueret ea in poteſtate & libertate voluntatis: ex quo fiebat, vt ipſum perſeuerare, ſeu velle, & operari bonum, quod in eorum relinquebatur arbitrio, non eſſet eis donandum à Deo, ſed à propria voluntate, &c.

Tunc donatur à Deo volitio actuum, aut opus, aut meritum, quando ipſe Deus in voluntate operatur, vt velit; non ſolùm ſic, vt ſine adiutorio iſto velle non poſ-

ſit, ſed vt cum iſto adiutorio non niſi velit.

---

§. XII.

De Philoſophia, Scholaſtica Theologia, ipſiuſque Eccleſiæ auctoritate.

CXXVII.

Tom. 1. l. 6. cap. 18.

PRIMA origo totius hæreſis Pelagianæ, & omnium gratiæ interpolatorum, Philoſophia.

Si Pelagianum errorem ad primum, vnde manat, fontem reducere libet, non aliunde, quàm ex Philoſophorum gentilium placitis conſutum deprehendes. Neque enim aliud quicquam eſt totius hæreſis illius apparatus, niſi pura & puta Pythagorica, Stoica, & Ariſtotelica Philoſophia: vt quod olim vniuerſim de hæreticis dixit Tertullianus, de nullis veriùs quàm de Pelagianis cum Hieronymo dici poſſit, Hæreticorum Patriarchæ Philoſophi. *Quæ eo fine à Ianſenio in Pelagianos dicuntur, vt per eo-*

rum latera Doctores Scholastici, Patres Concilij Tridentini, Romani Pontifices Pius V. & Gregorius XIII. aliique Catholici Hæreticorum debellatores feriantur: vix enim vlla est immanis illius voluminis pagina, in qua non fuerit insolentissimè debacchatus in Theologos Philosophiæ Aristotelicæ sectatores, quos non tantùm, vt aduersarios inuictissimos, sed etiam, vt arbitros, ac iudices æquissimos metuebat. Hinc illæ, quas breuiter perstringam, ne nimius sim, damnati operis infames laciniæ.

Sicut hæresim Pelagianam sola Philosophia peperit: ita quotquot posteà inter Christianos diuinæ gratiæ puritatem prædominanti libertatis humanæ mixtione adulterarunt, Philosophia lenocinante seducti sunt.

Quid in nostro sæculo, *debuerat dicere à quingentis minimùm annis, cùm de libertatis indifferentia, morte Christi pro omnibus, gratia sufficiente, timore pœnarum, amore concupiscentiæ, statu puræ naturæ, similibúsque, in quibus à Catholicis capitaliter dissidet, sermonem instituerit: Verùm versipellis anguis in*

gratiæ auxiliis latebram ſibi quærere maluit, quàm apertè mentem ſuam omnibus exponere, ſopitas illas tot ſæculis contentiones de gratiæ auxiliis ſuſcitauit, niſi eadem Philoſophia? Nam quidquid humanarum ratiuncularum iam olim deſtructum, & Eccleſiæ iudicio ſepultum fuerat, quaſi noua ſuborta luce denuò ab inferis renouatum eſt, & ad tuendam quaſi dominam illam libertatem Philoſophia animante conuerſum, ex quo tanta confuſio in diuinæ gratiæ doctrinam conſecuta eſt, vt dum certæ traditionis Eccleſiaſticæ via vnuſquiſque ad rationis tramitem reuocat quidquid in Scripturis vel obſcurum, vel etiam planum eſt, labyrintho aliarum opinionum diſtractus, nihil incertius eſſe iudices, quàm quod olim extra controuerſiam eſſe putabatur. *Numquid tibi videris, Amice Lector, rediuiuum aliquem Caluinum, Melanchthonem, aut Bezam aduerſus Theologos Scholaſticos inſanientem audire.* Sed pergit:

Semper interpolatrix veritatis Chriſtianæ, non integratrix nimia Philo-

ſophia fuit, dum neq; ſatis credit diuina & fixa eſſe, quæ interpolantur, neque ſatis intelligit humana eſſe, quæ veriſimili nouitate blandiuntur.

Exin Philoſophicas argutias, humanæ ratiunculæ paricidales pugiunculas, gratiæ interpolatores Philoſophiâ armatos, Philoſophicas ſtrophas, *& id genus alia ludibria, ſcommata, & conuitia in Theologiæ Scholaſticæ Doctores Scholaſticos, ſanctorum Thomæ ac Bonauenturæ, Scoti, Durandi, aliorúmque ſectatores vibrare non deſinit, quæ ſi hinc inde ſparſa ſub vnum aſpectum exhibere velim, grandem librum tot væ toties repetitis, tot maledictis ac contumeliis replere valeam.*

CXXVIII.

OMNIBVS qui in explicatione diuinæ gratiæ humanæ rationis & Philoſophicæ ſæcularis filum iam pertinaciter tenent, illud Auguſtini inculcari debet: ſi vis viuere, noli amare ſapientiam verbi, quâ & euacuatur CRVX CHRISTI. Ex ſapientia enim verbi, faſtus, propriæ eruditionis præſumptio, ſcribendi pruritus, magnorum voluminum multiplica- Ibid. c. 23.

tio, aliorum velut imperitorum deſpectus conſequi ſolet. *Atque ij ſunt colores, quibus ridiculus Theologiæ Scholaſticæ Louanienſis apoſtata depingit S. Thomam, S. Bonauenturam, Scotum, Tapperum, Malderum, Eſtium, Wiggerſium, Leßium, Suarem, Vaſquem, Bellarminum, alióſque Doctores Catholicos, maiores ſuos æqualéſque, qui Philoſophia duce ac magiſtra res diuinas ex ſacræ Scripturæ, Conciliorum, ac Patrum monimentis eductas in methodum certámque diſciplinam reuocarunt à quingentis circiter annis, vt de Hugone à ſancto Victore, Anſelmo, Ioanne Damaſceno, aliiſque antiquioribus taceam.*

CXXIX.

Tom. 2. libro procemiali, vt vocat, c. 3.

Deprehendi pleroſque, *cauſam hanc iactat confuſionis in diuinæ gratiæ doctrinam à quingentis annis iniectæ,* qui Scholarum pulpitis ad enodandas Scholaſticæ, hoc eſt methodicæ Theologiæ difficultates admouentur, multos annos priùs in Philoſophiæ palæſtra verſatos eſſe, nec ferè idoneos iſti Theologiæ contentioſæ profitendæ iudicari, niſi ante non exiguam partem ætatis in Dia-

lecticis Metaphyſicíſque ſpeculationibus triuerint. Ad Philoſophiæ præſidium, velut ad omnium ſolutionum armamentarium, ſe ſe conferunt.

Quid enim aliud ſententias illas peperit, quæ diuinam gratiam imperioſo nutui humanæ libertatis aptauit, niſi Philoſophia? Quid eas tanta animoſitate defendit, niſi Philoſophia, quæ non videtur aliud libertatis genus admittere, niſi quod omnibus in voluntatem admiſſis, aut irruentibus, plena atque indifferenti poteſtate dominetur? Quid ſtatum puræ naturæ formauit, ornauit, inſtruxit, niſi Ariſtotelica Philoſophia, quam etiam Gentiles quidam maiori ſentiendi ſanitate damnarunt? Quid virtutes Gentilium veras protulit, vnde opera, etiam bona, pullularent, niſi Gentium Philoſophia? Quid fidem, ſpem, dilectionem Dei ſuper omnia naturalem adinuenit, niſi pura puta Philoſophia?

Nempe de rebus Theologicis homines Ariſtotelicis diſciplinis inſtructiſſimi ſecurè & magiſtraliter diſpu-

tant, victoriæ cupidiores, quàm veritatis.

Quod vitium tunc imprimis naſcitur, cùm amantur propatula & famigerula in diſputando certamina, quæ vnà cum innumerabili Philoſophicarum quæſtionum farragine ad ſacratioris Theologiæ pluteos transferri, & ad enodanda Dei myſteria in tractatus Theologicos quaſi Philoſophico acumine commendata transfundi ſolent.

Cuius ineptiæ monſtroſa penè exempla in quibuſdam Scholaſticorum antiquorum ſcriptis videre licet: vt eos nihil magis formidaſſe putes, quàm ne Theologi facti Iſagogen Porphyrianam, aut Ariſtotelis Categorias & Analytica de manibus depoſuiſſe viderentur. *Hæc tela ipſum ingeniorum apicem Angelicum Doctorem haud dubie feriunt, qui in ſingulis pene articulis diuinæ Summæ, Ariſtotelis, Porphyrij, Commentatoris, aliorumque Pholoſophorum ſcripta allegat, laudat, exponit. At verò ſi infulatum Caluiniſmi defæcatioris Antiſtitem audire velis:*

Semper Philoſophia, quemadmodum mater hæreticorum fuit, ita rerum diuinarum arcanis definiendis adhibita MATER ERRORVM eſt.

CXXX.

IN hac etiam materia diuinæ gratiæ, quam tractamus, quid præcipuas lites in Scholas intulit, niſi iſta ipſa curioſitas illius pernoſcendæ quæſtionis, quomodo gratia in voluntate operetur. Cùm enim ex diuina reuelatione conſtaret cælitùs nobis miſericorditer Dei adiutorium dari, quo efficaciter velle & perficere in voluntatibus noſtris operetur, quod merito ſobrietati noſtræ ſufficere debuiſſet, ſicut ſæculis multis maioribus noſtris ſatis fuerat, quomodo hoc ipſum fieret non tantùm curioſè noſcere, ſed etiam audaciter ex propinatis Philoſophiæ quique ſuæ principiis definire voluerunt.

Eodem libro procemiali c. 6.

Non enim animaduertunt iſtud *quomodo* in diuinis Scripturis ferè ſemper modulum humanum ſuperare, & vel rerum ipſarum profunditate, vel virium infirmitate vetitam eſſe perſcrutationem eius. Hęreticis enim

proprium eſt ſimplici reuelationis veritate nunquam eſſe contentos, quorum audacia quemadmodum erroribus à Deo plectitur, ita Catholicorum quoque temeritas immodicè cuncta rimantium & aſſerentium plerumque ſua pœna non caret.

Parùm huiuſmodi ratiocinationes Philoſopho-Scholaſticæ ad inueniendas veritates faciunt.

Capite octauo vocat ſtrigoſas quęſtiones, quibus vniuerſa Scholaſtica nunc ab omni parte plena eſt, cogitationis humanæ fœtus, vbi non rarò adeſt, & ſtudium gloriandi, &c. puras abſtractiones, depuratáſque Ariſtotelicæ Metaphyſicæ eliquationes, &c. quæ diſciplinæ charitatis Chriſtianæ, quæ ſuauis ac modeſta eſt, aduerſantur.

CXXXI.

Eodem lib. & cap. 8.

QVEMADMODVM in Theoricis limites rerum verè diuinarum tranſeundo non ſemel in chimericas abſtractiones inciderunt; ita in practicis morales regulas agendorum ſimplices relinquendo, quas ſimplex & genuina ratio, & antiqui Patres præſcripſe-

ſcripſerunt, tam laxas effecere conſcientias, ſub prætextu accommodandi ſe infirmitatibus hominum, vt nihil opus ſit, niſi ſceleratos fieri homines, vt noua aliqua licentioſa regula fabricetur.

Vix aliquid in moribus eſt tam abſurdum, niſi Decalogum apertè feriat, imò etſi feriat, quod non factum ſit probabile. Vt reuerà pleriſque Chriſtianis ſcientia recentioris Theologiæ ad nihil penè ſeruiat, niſi vt ſenſa diuerſa diuerſorum ſuis apta cupiditatibus noſcendo & ſequendo, depoſitâ Chriſtianâ ſimplicitate verſutiores, & probitate nequiores fiant.

At hæc vaferrimus veterator non eo à ſe animo dicta ſubiungit, quaſi propter quorumdam abuſum Theologiam Scholaſticam ſugillatam velit, quæ ad pellendam tyronum (notanda verba) ignorantiam methodi ſuæ luce & breuitate ſaluberrimè traditur.

CXXXII.

NON alios cancellos quærendos aut figendos eſſe puto, quàm qui libris illis comprehenſi ſunt, in quibus Lib. proœmiali c. 9.

principia reuelatæ cognitionis immediata & mediata, primaria & secundaria: itémque tota conclusionum hactenus inde per Spiritum sanctum deriuatarum, hoc est, definitionum nouarum series continetur. Quod vt apertiùs breuiúsque dicam, arbitror SACRÆ SCRIPTVRÆ LIBRIS, CONCILIIS, ET PRIMORVM SÆCVLORVM PATRIBVS nos contentos esse debere. *Vbi hîc Romanæ Ecclesiæ, & summorum Pontificum definitiones, & decreta?*

CXXXIII.

Eodem lib. & cap.

CVM propriâ Scholasticorum confessione constet, neminem in Scholastica Theologia consummatum esse posse, nisi ei terendæ vitam impenderit vniuersam, ecquid sumpserit, quod diuinissimis illis libris voluendis temporis aut otij tribuatur? Cùm verò alterutrum eligendum sit, quis non perspicuè videt, quonam salubriùs labor noster, maioríque cum fructu conuertendus sit? Nam & hoc apud Scholasticos plerosque in confesso est, difficillimè aut nullo pacto fieri, vt qui Scholastica Theologia

præcelluerit, in poſitiua, quam vocant, ſimul primas ferat ; atque hoc in S. Thoma & Caietano demonſtratum eſſe.

CXXXIV.

Non ſemel admiratus fui quî factum ſit, vt Ethnici Philoſophi ante exortum lumen ad reuelationem gentium, longè veriùs, accuratiùs, ſanctiùs de præcipuis doctrinæ moralis capitibus philoſophati ſint, de infirmitate naturalium virium ad bene viuendum, de purgatione animæ, de Deo in omnibus actionibus diligendo, de beatitudine animæ, quam prædicabant, naturali, de gratiæ neceſſitate, quâ & amor Dei & præmium eius diuinæ contemplatio veritatis dari debet, quàm plerique, *dicere volebat omnes*, Scholaſtici Chriſtiani. Nec aliam ſanè cauſam inuenio, niſi quia omnes λεπτολογίαν Ariſtotelis ſectati ſunt, &c. Lib. 2. de ſtatu puræ nat. c. 2.

Hoc eſt ipſiſſimum virus quod ab Ariſtotele, velut magiſtro ſuo, ſuxêre Pelagiani, dum Dei gratiam, velut ſuperfluam, enecarunt.

Hæc eſt doctrina, quam Scholaſtici moderari voluerunt, dum duos homines in vno condiderunt, vnum Philoſophum, alterum Chriſtianum.

Hæc myſteria ex illa pura putáque Philoſophia Peripatetica promanarunt.

Ex quo etiam factum eſſe cernimus, vt quandiu abiectior illa Ariſtotelis Philoſophia ab Eccleſiæ pulpitis exulauit, nihil de huiuſmodi dogmatibus vſque ad ſæculum Scholaſticorum audiatur. Simulatque verò, ſiue per Pelagianos, quos tanquam ſimias Ariſtotelis, dicteriis amarioribus irridet: ſiue per ſobolem eorum Preſbyteros Maſſilienſes, quorum peſtifer habitus ſcriptis adhæreſcens ad poſteros propagatus eſt: ſiue multò magis per eos, qui Ariſtotelem in Eccleſiæ Scholis, velut normam doctrinæ naturalis ſectandum eſſe ſtatuerunt, minutiloquium rerum naturalium Chriſtianis admirationi fuit, &c.

CXXXV.

Ex præfat. lib. 6. de

FALLVNTVR toto cælo, qui vt liberrimas ſuas opiniones à Chriſtia-

na gratia non mediocriter dissonantes ab Augustini censura subtrahant, causantur eum cum hostibus nimiùm liberæ voluntatis vires tuentibus luctatum esse, & propterea in alteram partem obnixiùs tetendisse, vt faciliùs aduersarios suos deprimeret: sic qui contra Augustini sensum pœnas paruulorum post hanc vitam, non multò modestiùs, quàm ipsi Pelagiani, eleuant, hoc ipsum velum suis conatibus præferunt. Ita fit vt illo specioso prętextu Augustini doctrina, tam de peccato originali, quàm de libero voluntatis arbitrio in pręsentissimum periculum adducatur. Sed boni isti viri, *ij sunt sanctus Bonauentura, Gilbertus Genebrardus Archiepiscopus Aquensis, Claudius Sanctesius Episcopus Ebroicensis, Cardinalis Caietanus, aliique quamplurimi mille Ianseniis ingenio ac virtute potiores,* duplici ex capite hallucinari videntur, &c. grat. Christi Saluat.

Dolendum est nonnullos, *Doctores Scholasticos Ecclesiæ Catholicæ filios intelligit,* ita humanis & plerumque fallacibus ratiocinationibus deditos

eſſe, vt liberi arbitrij intelligentiam tutiùs ab Ariſtotele, & è gentili Philoſophia, quàm ex antiquæ Eccleſiæ promptuariis hauriendam eſſe arbitrentur.

Deſinat hîc obſtrepere Ariſtotelica Philoſophia, quæ in iſta cauſa cum Pelagio atque Iuliano plenis buccis eam crepante damnata eſt. Neque enim aliud eſt quicquam hęreſis Pelagiana de gratia & libero arbitrio, quàm pura puta Ariſtotelica Philoſophia.

Nihil magis in hoc argumento de libero arbitrio ſuſpectum eſſe debet, quàm Ariſtotelica illa Philoſophia, cuius ſolius armis inſtructi Iulianus & Pelagius libertatem humani arbitrij defenderunt.

Faceſſat & iſta hinc inuidioſa querimonia, quòd Auguſtini ſententia Caluino aut Luthero fauere videatur. Si enim, Auguſtini eſt, illorum error eſſe non poteſt. Sed quia non vſque adeò Hęretici exorbitare ſolent, quin ſæpe in aliquibus articulis veritatem, in aliis nonnulla veritatis lineamenta retineant, ſi quid fortè

hac in re cum Auguſtino ſenſerint, veritas amplectenda eſt, ſin diſſenſerint, error corrigendus. *Ex quibus verbis nemini dubium eſſe poteſt, vtri parti ſe addixerit Ianſenius, Hæreticorum an Catholicorum, Caluini an diui Thomæ Scholaſticorum Principis, quamuis tortuoſi colubri ſpiris ac flexibus variis implicati ſimplices quidam & obeſæ naris Ianſeniani nondum id videant, aut certe non videre ſe fingant.*

CXXXVI.

QVIDQVID veræ Theologiæ in Scholaſtica S. Thomæ continetur, vſque ad ipſorum articulorum fundamenta, ex Auguſtino ita mutuatum eſt, vt quemadmodum nouum Teſtamentum nihil aliud eſt, niſi vetus reuelatum, & Auguſtini doctrina de gratia Dei nihil pręter fidei principia in ſuas diducta concluſiones; ita S. Thomæ Summa, vbi Theologiam tradit, pro magna parte, nihil ſit aliud, niſi Auguſtinus contractus, certáque proportione naturalibus principiis alligatus, ſecundum quod congruit, vt ipſe Thomas loquitur, ad eruditionem incipientium. Lib. procemiali c. 22.

Ex quo profectò magnitudo ſancti Auguſtini multò ſplendidiùs eniteſcit. Si enim à nonnullis, *ſollerter hîc cauit Scholaſticorum hoſtis capitaliſſimus, ne Romanos Pontifices huius elogij proferret auctores*, de S. Thoma rectè dictum eſt, quot ARTICVLOS tot eius eſſe MIRACVLA, quot miraculis ille tandem claruiſſe dicendus eſt, qui ſanctum Thomam tot miraculorum patratorem fecerit? nihil hic inuidiam cuiuſquam, vel ne ſanctus Thomas ſuccenſeat mihi pertimeſcendum puto, qui quantum ſanctiſſimo Auguſtino anteceſſori ac magiſtro ſuo debeat faciliùs ipſemet forſan pro humilitate ſua, quàm quiſquam alius amator eius ardentior quàm prudentior fateretur. *Hîc verò expendant velim D. Thomæ ſtudioſi, num veram ille Theologiam doceat, vbi prætermiſſo Auguſtino, ex Scriptura, ex Conciliis, ex Romanorum Pontificum decretis, ex aliis Patribus multa ediſſerit, & num ex mente Ianſenij miracula dici poßint aut debeant articuli illi Summæ, in quibus ex Ariſtotelis, Porphyrij, Commentatoris, aliorúmque Phi-*

losophorum principiis plurima ad Catholicam doctrinam spectantia stabiliuntur.

CXXXVII.

NVLLA Scholasticarum opinationum vetustas, quantocumque patrocinantium numero roborata, quibuscunque locis diffusa, quotcunque ætatibus propagata, fidem Ecclesiæ labefactat aut maculat: quæ quemadmodum huiusmodi filios suos, cum animi simplicitate in rebus obscuris opinantes, aut errantes tolerare solet, donec eruditorum disputationibus, aut Conciliorum decisionibus veritas eliquetur; ita nullâ opinionum vetustate teneri debet, aut impediri potest, quin istas eorum opiniones ad incudem reuocet, & de nouo examinet, vtrùm à veritate sibi à Deo tradita, & antiquitùs à suis veracibus & probatissimis magistris docta, deuiauerint. Lib. procemiali c. 30. atque vlt.

Quòd si in istis controuersiis me quispiam Doctorum recentiorum numerositate vel auctoritate premat, moueor quidem vehementer, sed mirum, si etiam sapienter. Si enim eruditiori, &c.

Si auctoritati auctoritas componenda eſt, vnus eſt Auguſtinus inſtar omnium, loco omnium, ſupra omnes, à quo profectò ſolo in hoc argumento ipſi habent, quidquid boni habent, & quidquid ibi ab ipſo non habent, defœcatior eſſet fortè & felicior Theologia, ſi careret. Ad ipſum ergo confugiat, quiſquis in hiſce quæſtionibus errare nolit, ad ipſum ab omnibus quantumlibet numeroſis prouocet.

Lib. 4. de ſtatu naturæ lapſæ cap. 15.

Quorum, *S. Auguſtini dogmatum*, ignoratione factum eſt, vt Scholaſticis aberrantibus mirum in modum, & pluſquam dici aut credi poteſt, Auguſtini doctrina de gratia, & bonis operibus & meritis obſcurata & perturbata ſit.

Nimirùm, ne Philoſophia Peripateticorum atque Stoicorum de virtutibus atque operibus bonis peſſum iret, imprudenter à viris doctis & bonis manus Auguſtino iniectæ ſunt, vt venerabilis canities doctrinæ ipſius, quæ poſt ſeptingentos aut octingentos annos poſt mortem eius pura atque inuiolata per manus & ſcripta di-

ſcipulorum tradebatur, nouis interpretationibus IN ECCLESIA CHRISTIANA ad illud vſque tempus inauditis DEPRAVATA LOCO CEDERET.

Tanta eſt in quibuſdam hominibus humanæ Philoſophiæ rationúmque plauſibilium fiducia, quas Gentilium cæcitas præformauit, vt vniuerſam Auguſtini doctrinam faciliùs, præterquàm vbi IN TERMINIS IPSIS DEFINITA EST, peſſumdari, quàm illas ſibi præripi, vel vt inanes abiici paterentur. *Ergo, Ianſenio teſte, non omnis Auguſtini doctrina definita eſt, & ab ea, quæ definita eſt, non receſſerunt Scholaſtici Doctores recentiores. Quid ergo eos, vt Pelagianos aut Semipelagianos, tam ſæpè, tam mendaciter traducit?* Præfat. in lib. 1. de ſtatu puræ naturæ.

CXXXVIII.

NON iniuria dicere poſſumus eos verè grauiſſimam Apoſtolicæ Sedi iniuriam facere, qui vllum articulum doctrinæ ab eo contra Pelagianos traditæ erroris inſimulant, vel ab antiquorum Romanorum Pontificum ſucceſſoribus Pio V. aut Gregorio XIII. etiam damnatam putant. Qua- Eiuſdem lib. procem. cap. 16.

ſi verò veritas eſſe poſſet aduerſa veritati, vel propter ſubintroductas opiniones nouas Auguſtino capitaliter diſſonantes, id quod docuit ab eius auctoritate remoueri deberet; vel Auguſtinus, *ſeu potiùs Auguſtiniaſter Iprenſis, hoc eſt Caluiniſticus*, cum Romana Sede committi. *Neque enim Auguſtinus cum Baio damnatus eſt, ſed Auguſtinum crepantes Lutherus, Caluinus, Beza, ſimileſque à fide maiorum ſuorum Apoſtatæ: quibus ſe adiungere maluit Ianſenius, quàm Romanos Pontifices duces ſequi, & eorum cenſuræ cum Catholicis acquieſcere.*

Tom.2.l.3. de ſtatu puræ nat. c.22. ſub fin.

Quid ergo ad propoſitionem, quam proſcripſit Apoſtolica Sedes? *in Bullis ſcilicet Pontificum Romanorum Pij V. & Gregorij XIII.* Hæreo, fateor. Sed quid ad doctrinam Auguſtini clariſſimam, conſtantiſſimámque, quam toties probauit, & ſequitur, ſequendámque monuit Apoſtolica Sedes?

Ne igitur Pontificiam Sedem in pugna ſecum relinquamus, nihil arbitror opportunius dici poſſe, quàm Romanam Eccleſiam, cui non minùs pax, quàm eruditio filiorum ſuorum

CXL.

ACCEDIT

CORONIDIS LOCO

Satanicæ ac Giganteæ ſuperbiæ, ſeu præſidentiæ ſpecimen prorſus horrendum.

Ex cap. 28. libri Proœmialis Tomi II.

CVM Theologiam ſuam recentem, quæ magnopere ad humanæ rationis modulum, & Philoſophiæ Gentilis regulas concinnata eſt, tanquam normam iudicandi de omnibus Auguſtini pronunciatis adhibent, & omninò ſequendam putant, penè ad ſingulos offendunt paſſus, &c.

Si Auguſtinus diuinarum rerum veritatem, cùm de aliis multis capitibus, tum præcipuè de gratia & prædeſtinatione contra Pelagianos iuxta Catholicæ Eccleſiæ ſenſum docuit; Recentiores iſti profectò, *Theologos intelligit Scholaſticos, quos pluribus &*

virulentioribus ſannis ac ſcommatis, quàm aut Lutherus, aut Caluinus, aut Melancthon, aut Beza, aut quiuis alius de fæce Apoſtatarum inſectatus eſt, tantùm ab OSTIO VERÆ THEOLOGIÆ, fide saluâ, aberrauerint; vt neque FIDEM CHRISTIANAM (quam animo, vt Catholici tenent) neque SPEM, neque CVPIDITATEM, neque CHARITATEM, neque NATVRAM, neque GRATIAM, eámque, neque ANGELORVM, neque HOMINVM, neque STANTIVM, neque LAPSORVM, neque SVFFICIENTEM, neque EFFICACEM, neque OPERANTEM, neque COOPERANTEM, neque PRÆVENIENTEM, neque SVBSEQVENTEM, neque EXCITANTEM, neque ADIVVANTEM, neque VITIVM, neque VIRTVTEM, neque OPVS BONVM, neque PECCATVM, neque ORIGINALE, neque ACTVALE, neque MERITVM, neque MERCEDEM eius, neque PRÆMIVM, neque SVPPLICIVM creaturæ rationalis, neque BEATITVDINEM, neque MISERIAM eius, neque TIMOREM, neque AMOREM DEI, neque IVSTITIAM, ne-

que MISERICORDIAM eius, neque denique VETVS, neque NOVVM TESTAMENTVM intelligere videantur: ſed BABYLONICAM quandam CONFVSIONEM, CIMMERIASque quaſi TENEBRAS in THEOLOGIÆ MORALIS faciem, nimiùm RATIOCINATIONIBVS indulgendo, intuliſſe.

Scilicet nouus è cælo lapſus LVCIFER, *nouus* CHERVB, *extendens ab Hollandiæ Caluiniſticis incunabulis pennas ſuas laboranti mundo apparuit, qui diffuſas ſuper vniuerſam* ECCLESIÆ *faciem tenebras ingenij ſui micantiſſimo fulgore diſcuteret. Sed heu! valet valebitque ſemper veriſſimum illud Domini* IESV *effatum Luc.* 10. 18.

VIDEBAM SATANAM SICVT FVLGVR DE CÆLO CADENTEM.

FINIS.

ELOGIA
ET TITVLI,

quibus decorantur

IANSENIVS IPRENSIS,

ET IANSENIANI,

Cum Wiclefo, Husso, Luthero, Melanchthone, Caluino, &c.


A CONCILIIS,

SVMMIS PONTIFICIBVS, EPISCOPIS,

Vniuersitatibus, Doctoribus, aliisque Catholicis.

EX his porrò intelligent Christiani quidam molliores, Pacificatores semi-Catholici, atque vt verè dicam ἀμφίβιοι καὶ ἀδιάφοροι ψευδοπεργύλιοι, qui sub prætextu nescio cuius adulterinæ caritatis atque ementito fallacium induciarum studio aduersus LVPOS CHRISTI GREGEM passim dilaniantes latrare non audent, imo quod peius est, pro sancta Dei Ecclesia sedulò excubantes Pastores, Doctores, Concionatores, carpere, mellitisque, ac tantumnon holosericis, vt vocant, sermonibus infamare non verentur; discent, inquam, quàm seuerè, quàm fortiter ac neruosè, quibusque tandem verborum fulminibus, Romani Pontifices, Conciliorum Patres, Præsules, Doctoresque Catholici Wiclefum, Lutherum, Caluinum, Iansenium, eiusque discipulos ac sequaces fuerint hactenus insectati.

ARGVE, INCREPA IN OMNI PATIENTIA ET DOCTRINA.



ELOGIA LVTHERI, Caluini, Ianſenij, Ianſenianorum, &c.

Qui non eſt mecum, contra me eſt; & qui non colligit mecum, diſpergit.

CHRISTVS Lucæ cap. XI. v. 23.



SYNOPSIS TRIVMPHI *Catholicæ veritatis.*

PARS PRIMA.

PARS SECVNDA.

PARS QVARTA.

PARS QVINTA.

PARS SEXTA.

§. 4. RR. PP. Carmelitæ Discalceati Cornelii Iansenii doctrinam magnas in Ecclesia turbas excitare profitentur; & Lectores, Concionatores ac Confessarios, qui eam sustineant, doceant, aut approbent, amoueri iubent ab officiis suis, &c. 230

§. 5. RR. PP. Ordinis Minimorum S. Francisci de Paula, aduersus Cornelii Iansenii perniciosam doctrinam seuerè edixerunt in Comitiis Prouincialibus. 231

§. 6. Reuerendi Patres Benedictini Congregationis S. Mauri in Gallia, in Comitiis suis generalibus aduersus Cornelii Iansenii perniciosam doctrinam seuerè edixerunt. 232

SEQVVNTVR

PROPOSITIONES Cornelij Iansenij & Iansenianorum damnatę à Conciliis, summis Pontificibus, Præsulibus, Vniuersitatibus, Doctoribus Catholicis, atque Ordinibus Religiosis, vt hæreticæ, erroneæ, suspectæ, temerariæ, scanda-

losæ, in pias aures offensionem immittentes, perniciosæ, repugnantes sacræ Scripturæ, &c. ad duodecim capita reuocatæ.

ADDENDA SVIS LOCIS.

Ad paginam 51.

Ex litteris Coloniæ Agrippinæ scriptis, die 14. *Nouembris anni* 1650.

THESES de Gratia Ianſenianæ defendi debebant Aquiſgrani: ad earum diſputationem Illuſtriſſimus Nuntius fuit inuitatus à P. Carolo Profeſſore Franciſcanorum de Obſeruantia futuro Defenſore. Nuntius vt primùm legit, Commiſſarium generalem Ordinis cum Guardiano euocauit ad ſe, exprobrauitque audaciam proponendi has Theſes, interdixit earum publicationem & diſputationem, impoſuit earum combuſtionem, & Defenſoris ac Præſidis caſtigationem, quod conuocato Capitulo ſuper his vtrumque factum. Dimiſſus Pater Carolus in Belgium, ibi Caroli Ducis patrocinium obtinere parabat, ſed reiectus, tandem ſub alas Mechlinienſis Archiepiſcopi receptus dicitur.

Ad paginam 122.

Vidimus Bullam S.D.N. Vrbani PP. VIII. contra Ianſenij doctrinam Varſauiæ in Poloniæ regno excuſam anno 1650. *in of-*

ficina Petri Eben S. R. M. Typographi, cum hoc addito in prima pagina.

De mandato Illustrissimi & Reuerendissimi D. Nuntij Apostolici imprimatur. Iacobus Elephantuccius Auditor Generalis.

In postrema verò pagina hæc erant descripta.

Ego Concionator Regius notum facio me die sanctorum Simonis & Iudæ 1650. hanc Bullam ex mandato Illustrissimi Nuntij Apostolici publicasse in æde sacra Parochiali S. Ioannis Varsauiæ, coram Serenissimo Rege, & cæteris Senatoribus, totáque congregatione populi. In cuius rei fidem hoc testimonium scripsi, die 29. Nouembris. Varsauiæ anno 1650.

Stanislaus Bzygodzki.

Ad paginam 216.

Consensum Iansenisticæ doctrinæ cum Caluiniana hæresi nemo aptius veriusque palam potuit profiteri, quàm Iansenianorum Patriarcha famosissimus Ioannes Labadius, & Iansenisticæ doctrinæ Parisiis, Ambiani, Vasatis, Tolosæ, & alibi tota pene Gallia Buccinator acerrimus, Iansenianorum vbique applausu, pecunia, mensa, commendatione, epistolis, Apologiis, benignè exceptus, & ad cælum vsque elatus. Vide quæ Antonius Arnaldus, seu Antonius Magister, aut quis alius Regalis Portus te-

nebricosus accola, de eo, eiusque socio Dabillonio scripsit sub finem secundæ pro Iansenio apologiæ, paginis 417. 418. 419. 420. 421. 422. & sequentibus.

Is ad Caluini castra tandem confugit, & eiuratâ apud Montalbanum Catholicâ fide, duos libros edidit in eadem Montalbanensi vrbe excusos typis Philippi Braconier, in quibus apertè docet eandem esse Iansenianorum & Caluinistarum de Gratia, Libero Arbitrio, & Prædestinatione doctrinam, séque sub specioso Iansenismi pallio Caluinianas illas hæreses â decem annis in pluribus Galliæ locis, præsertim Ambiani, docuisse. Fragmenta quædam ex duobus illis libris, *Declaratione* scilicet, atque *Epistola ad amicos suos in communione Romana existentes*, hoc est Iansenianos, quorum se socium fuisse profitetur, visum fuerat hîc quoque paucis exhibere: sed ea iam totâ Parisiensi ciuitate vulgata sunt, plurimosque docuerunt, quis tandem sit exitus, quod consilium, quæ Iansenianorum aduersus Ecclesiam Catholicam & Romani Pontificis auctoritatem, ac Theologiam Scholasticam, molitiones.

Ad paginam 231.

Decretum RR. PP. Minimorum in Capitulo Prouinciali anno 1650.


Vt periculosa doctrinæ nouitas, quæ in dies magis magisque grassari videtur apud multos, in scandalum saltem, si non in perniciem Ec-

clesiæ, efficaciter apud nos præscindatur, decreuerunt Patres pœnam priuationis ab officio, Prædicationis scilicet & Lectionis, in eos qui legitimè conuicti fuerint docuisse ea, quæ vocant Iansenij dogmata, per Bullas Pontificias iam damnata, vel in scholis apud nos, vel è suggestu apud populum, vel in priuatis colloquiis spiritualibus, vt sæpe fit, cum secularibus & monialibus, *&c.*

OMITTO Protestationem Catholicam, quam Hiberni Doctores & Sacerdotes quamplurimi Parisiis publicarunt ab aliquot diebus, necnon Refutationem ridiculi Manualis quorumdam Acatholicorum, quod inficeto est inficetius rure, solisque mendaciis, calumniis, solœcismisque insigne: vt pauca, quæ irrepserunt, errata corrigam.

Pag. 13. *Heluidorum* Heluidiorum. 34. *vt merito* meriti. 40. *quam ante* qua ante. 47. *factus est* facta est massa. 53. *suoque initio* vitio. 207. *Ramaus* Romæus. 224. *antiqui* antiquæ.

FINIS.



SVMMA PRIVILEGII
Regis Christianissimi.

CAVTVM est auctoritate Regis, ne quis in regno suo aliisue locis suæ ditioni subiectis intra decem annos proximos librum qui sic inscribitur, *Triumphus Catholicæ Veritatis aduersus Nouatores*, &c. absque SEBASTIANI CRAMOISY Architypographi Regis & Reginæ Regentis permissu, imprimat, aut diuendat à die publicationis horum exemplarium. Qui secùs fecerit, mulcta indicta, prout amplius in diplomate regio continetur, coërcebitur. Datum Parisiis die 19. Nouembris 1650. Sic signatum de mandato Regis.

CRAMOISY.

